

13-D-764

Quellsammlung zur kirchlichen Rechtsgeschichte  
und zum Kirchenrecht.

Herausgegeben von Eduard Eichmann.

— 1 —

# Kirche und Staat.

I.

## Von 750—1122.

Herausgegeben

von

Dr. Eduard Eichmann,  
Universitätsprofessor in Prag.

Dh 204/1



Paderborn 1912.

Druck und Verlag von Ferdinand Schöningh.

1495/1



## Vorwort.

Die Konversationsmethode gewinnt im akademischen Unterrichte eine stetig wachsende Bedeutung. Während die „tradierende“ Tätigkeit des Kollegs den Hörer zu einem vertrauensvollen Hinnehmen des Vorgetragenen, zu einer mehr rezeptiven Tätigkeit verurteilt, bietet sie dem Lehrer nur wenig Gelegenheit, seine Schüler in die Art, wie die Resultate gewonnen werden und in die Methode der Forschung einzuführen. Das unmittelbare Zusammenarbeiten von Lehrer und Schülern hat dagegen für beide Teile unschätzbare Vorteile. Für den Hörer ist es eine Schule der Selbständigkeit und Initiative; er wird angeleitet, unmittelbar aus Berichten und Urkunden die in ihnen verborgenen Tatsachen oder Rechtssätze herauszuschälen und zu formulieren, sie in ihrem geschichtlichen Zusammenhange, ihrer Bedeutung und praktischen Tragweite zu erfassen, ihnen durch Kombination mit anderen Tatsachen oder Rechtsätzen neue Seiten abzugewinnen, bisherige Anschauungen und Lösungsarten kritisch zu prüfen, die Urteilstatkraft zu schärfen, die Kenntnisse zu erproben und durch Selbsttätigkeit, gewissermaßen aus Eigenem zu ergänzen. Aber auch der Lehrer hat aus der lebendigen Fühlung mit seinen Schülern nur zu gewinnen. Ich wenigstens muß gestehen, daß ich den zwei Wochenstunden meiner akademischen Lehrtätigkeit, welche ich nicht auf dem hohen Katheder, sondern mitten unter meinen Studenten als primus inter pares studiosos fragend und antwortend zubringe, so vielfache Anregung und Förderung verdanke, daß ich sie nicht mehr missen möchte.

## Inhalt.

---

	Seite
<b>I. Verbindung des Papsttums mit den Karolingern, Ottonen, Saliern. Priesterkönigtum und Gottesstaat.</b>	
<b>Einheitsgedanke . . . . .</b>	<b>1—31</b>
Nr. 1. Salbung Pippins . . . . .	1
„ 2. Anerkennung der karolingischen Dynastie . . . . .	1
„ 3. Schenkung Pippins und Karls d. Gr. Privileg Ottos I. . . . .	2
„ 4. Stellung des Königs in der Kirche . . . . .	7
„ 5. Gottesstaat . . . . .	10
„ 6. Einheitsgedanke . . . . .	12
„ 7. Königswahl. Eigenschaften des Königs . . . . .	13
„ 8. Fidelitätseid . . . . .	13
„ 9. Zusammenwirken der beiden Gewalten . . . . .	14
„ 10. Staatliche Fürsorge für die Kirchen und den Gottesdienst . . . . .	17
„ 11. Besetzung der Kirchenämter . . . . .	19
 <b>II. Staatskirchliche Gesetzgebung . . . . .</b>	<b>32</b>
Nr. 12. Karls d. Gr. erstes Kapitular . . . . .	32
„ 13. Capitulatio de partibus Saxoniae . . . . .	34
„ 14. Innere Kirchenangelegenheiten . . . . .	36
„ 15. Eintritt in den Dienst der Kirche von königlicher Genehmigung abhängig . . . . .	36
„ 16. König und Synode . . . . .	37
„ 17. Zehntpflicht . . . . .	39
„ 18. Asylrecht . . . . .	39
„ 19. Sendpflicht . . . . .	40
„ 20. Edikt Heinrichs III. de iuramentis clericorum . . . . .	40
„ 21. Gerichtsstand des Klerus . . . . .	41
 <b>III. Anerkennung und Schutz der kirchlichen Ordnung . . . . .</b>	<b>44—53</b>
Nr. 22. Anerkennung des Primats, Rezeption der Dionysio-Hadriana, erhöhter strafrechtlicher Schutz des Klerus, Immunität und Königsschutz, Kirchenvögte . . . . .	44
„ 23. Gewährung des brachium saeculare . . . . .	46

	Seite
Nr. 24. Gewährung des brachium saeculare insbesondere zur Erzwingung der Sendpflicht, Eintreibung des Zehnten, Trennung inzestuöser Verbindungen, Erzwingung der Bußleistung, Zwang gegen den Exkommunizierten, gegen Ungläubige und Häretiker. . . . .	48
„ 25. Weltliche Wirkungen des Kirchenbannes . . . . .	50
 <b>IV. Mitwirkung der Kirche an den Staatsaufgaben . . . . .</b>	<b>54—57</b>
Nr. 26. Allgemeine Mitwirkungspflicht . . . . .	54
„ 27. Bischöfe als weltliche Beamte . . . . .	54
„ 28. Kirchenstrafrechtlicher Schutz des Königs . . . . .	55
„ 29. Gebe für Kaiser und Reich . . . . .	56
„ 30. Acht und Bann . . . . .	56
 <b>V. Salbung und Krönung der deutschen Könige und Kaiser . . . . .</b>	<b>58—88</b>
Nr. 31. Kaiserkrönungsordnung des 9. Jhdts. . . . .	58
„ 32. Karls d. Gr. Kaiserkrönung . . . . .	61
„ 33. Erste (weltliche) Kaiserkrönung Ludwigs d. Fr. 813 . . . . .	62
„ 34. Zweite (kirchliche) Kaiserkrönung Ludwigs d. Fr. 816 . . . . .	64
„ 35. Bedeutung und Wirkung der Salbung . . . . .	64
„ 36. Ottos I. Königskrönung in Aachen . . . . .	67
„ 37. Ordo der Königskrönung . . . . .	68
„ 38. Ottos I. Kaiserkrönung 962 . . . . .	79
„ 39. Ritus der Kaiserkrönung („Cencius II“) . . . . .	79
 <b>VI. Übergang zum hierokratischen System . . . . .</b>	<b>89—126</b>
Nr. 40. Protest gegen das Staatskirchentum . . . . .	88
„ 41. Betonung des Dualismus . . . . .	90
„ 42. Überordnung der Bischöfe über den König . . . . .	91
„ 43. Angilram, Pseudoisidor, Benedikt Levita . . . . .	98
„ 44. Gregorianische Grundsätze . . . . .	101
„ 45. Die Konstantinische Schenkung . . . . .	113

I. Verbindung des Papsttums  
mit den Karolingern, Ottonen, Saliern.  
Priesterkönigtum und Gottesstaat.  
Einheitsgedanke.

Nr. 1.

*Salbung Pippins 754.*<sup>1</sup>

Chronicon Moissiacense a. 742.

MG. SS. I 293.

Papa a Pippino rege honorifice susceptus est. Sequenti die una cum clero suo aspersus cinere et indutus cilicio in terram prostratus, per misericordiam Dei omnipotentis et merita beatorum apostolorum Petri et Pauli Pippinum regem obsecrans, ut se et populum Romanum de manu Langobardorum et superbi regis Haistulphi servitio liberaret; nec antea de terra surgere voluit, quam sibi rex praedictus Pippinus cum filii suis et optimatibus Francorum manum porrigerent et ipsum pro indicio suffragii futuri et liberationis de terra levarent. . . . Stephanus autem papa ipsum piissimum principem Pippinum regem Francorum ac patricium Romanorum oleo unctionis perunxit secundum morem maiorum unctione sacra, filiosque eius duos felici successione Carolum et Carlomannum eodem coronavit honore.

Nr. 2.

*Anerkennung der karolingischen Dynastie.*

Nota monachi Sancti Dionysii de unctione Pippini Regis.

MG. SS. XV 1.

Nam ipse praedictus dominus florentissimus Pippinus rex pius per auctoritatem et imperium sanctae recordationis domni Zachariae papae et unctionem sancti chrismatis

<sup>1</sup> Einhardi Annales a. 749 MG. SS. I 187: Burchardus Wirziburgensis episcopus, et Foldradus capellanus, missi sunt ad Zachariam Papam, ut consulerent pontificem de causa regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum regis, sed nullam potestatem regiam habuerunt; per quos praedictus pontifex mandavit, melius esse illum vocari, apud quem summa potestatis consistaret; dataque auctoritate sua, iussit Pippinum regem constitui.

per manus beatorum sacerdotum Galliarum et electionem omnium Franchorum tribus annis antea in regni solio sublimatus est. Postea per manus eiusdemque Stefani pontificis . . . in regem et patricium . . . unctus et benedictus est . . . simulque Francorum principes benedictione sancti Spiritus gratia confirmavit et tali omnes interdictu et excommunicationis lege constrinxit, ut numquam de alterius lumbis regem in aevo praesumant eligere, sed ex ipsorum, quos et divina pietas exaltare dignata est et sanctorum apostolorum intercessionibus per manus vicarii ipsorum beatissimi pontificis confirmare et consecrare dispositus.

## Nr. 3.

*Schenkung Pippins (754) und Karls d. Gr. (774) an den römischen Stuhl; Privileg Ottos I. 962.*

a) Vita Stephani II. c. 26.

Liber Pontificalis ed. Duchesne I 447.

Mox ibidem (Ponthion) beatissimus papa praefatum christianissimum regem lacrimabiliter deprecatus est ut per pacis foedera causam beati Petri et reipublicae Romanorum disponeret. Qui de praesenti iureiurando eundem beatissimum papam satisfecit omnibus eius mandatis et ammonitionibus sese totis nisibus oboedire, et ut illi placitum fuerit exarchatum Ravennae et reipublicae iura seu loca reddere modis omnibus.

b) Vita Hadriani I. c. 41.

Liber Pontificalis ed. Duchesne I 498.

At vero quarta feria, egressus praenominatus pontifex cum suis iudicibus tam cleri quamque militiae in ecclesia beati Petri apostoli, pariterque cum eodem rege se loquendum coniungens, constanter eum deprecatus est atque ammonuit et paterno affectu adhortare studuit ut promissionem illam, quam eius sanctae memoriae genitor Pippinus quondam rex et ipse praeccellentissimus Carolus cum suo germano Carlomanno atque omnibus iudicibus Francorum fecerant beato Petro et eius vicario sanctae memoriae domino Stephano iuniori papae, quando Franciam perrexit, pro concedendis diversis civitatibus ac territoriis istius Italiae provinciae et contradendis beato Petro eiusque omnibus vicariis in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus. Cumque ipsam promissionem, quae Francia in

loco qui vocatur Carisiaco facta est, sibi relegi fecisset, conplauerunt illi et eius iudicibus omnia quae ibidem erant adnexa. Et propria voluntate, bono ac libenti animo, aliam donationis promissionem ad instar anterioris ipse antedictus praeccellentissimus et revera christianissimus Carolus Francorum rex adscribi iussit per Etherium, religiosum ac prudentissimum capellanum et notarium suum; ubi concessit easdem civitates et territoria beato Petro easque praefato pontifici contradi spopondit per designatum confinium, sicut in eadem donationem continere monstratur, id est: a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, id est in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio; et exinde in Mantua atque Monte Silicis, simulque et universum exarchatum Ravennatum, sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum et Istria; necnon et cunctum ducatum Spolitium seu Beneventanum. Factaque eadem donatione et propria sua manu eam ipse christianissimus Francorum rex eam conoborans, universos episcopos, abbates, duces etiam et graffiones in ea adscribi fecit; quam prius super altare beati Petri et postmodum intus in sancta eius confessione ponentes, tam ipse Francorum rex quamque eius iudices, beato Petro et eius vicario sanctissimo Adriano papae sub terrible sacramento sese omnia conservaturos qui in eadem donatione continentur promittentes tradiderunt.

[Privileg Ludwigs des Frommen 817, MG. Capitul. I 353. Privileg Lothars I., sog. Constitutio Romana 824, MG. Capitul. I 323.]

c) Privileg Ottos I. vom 18. Februar 962.

MG. Const. I 28.

In nomine domini Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Otto Dei gratia imperator augustus una cum Ottone gloriose rege filio nostro divina ordinante providentia spondemus atque promittimus per hoc pactum confirmationis nostre tibi beato Petro principi apostolorum et clavigero regni celorum et per te vicario tuo domino Iohanni summo pontifici et universalii XII<sup>mo</sup> pape, sicut a predecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate atque dictione tenuistis et disposuistis: civitatem Romanam cum ducatu suo et suburbanis suis atque viculis omnibus et territoriis eius, montanis ac maritimis, litoribus ac portubus. (2.) Seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis ac viculis Tuscie partibus, id est Portum, Centumcellas, Cerem,

Bledam, Maturianum, Sutriam, Nepem, castellum Gallisem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus insulis, id est maiore et minore, Puluensim, Narniam et Utriculum, cum omnibus finibus ac territoriis ad superscriptas civitates pertinentibus. (3.) Nec non exarchatum Rauernatem sub integritate cum urbibus, civitatibus, oppidis et castellis, que pie recordationis dominus Pippinus et dominus Karlus excellentissimi imperatores, predecessores videlicet nostri, beato Petro apostolo et predecessoribus vestris iam dudum per donationis paginam contulerunt, hoc est civitatem Rauennam et Emeliam: Bobium, Cesenam, Forumpopuli, Forumliui, Fuentiam, Immolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaclum et Adrianis atque Gabellum cum omnibus finibus, territoriis atque insulis, terra marique ad supradictas civitates pertinentibus. (4.) Simul et Pentapolim, videlicet Ariminum, Pensaurum, Phanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forumsimpronii, Montemfeltri, Urbanum et territorium Balnense, Callis, Luciolis et Eugubium cum omnibus finibus ac territoriis ad easdem civitates pertinentibus. (5.) Eodem modo territorium Sabinense, sicut a domno Karlo imperatore antecessore nostro beato Petro apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate. (6.) Item in partibus Tuscie Longobardorum castellum Felicitatis, urbem veterem, Balneum regis, Ferenti, Uiterbum, Orchem, Marcam, Tuscanam, Suanam, Popolonum, Roselles cum suburbanis atque viculis omnibus et territoriis ac maritimis, oppidis ac viculis seu finibus omnibus. (7.) Itemque a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regia, exinde in Mantua atque in Monte Silicis atque provincia Venetiarum et Istria nec non et cunctum ducatum Spolitanum seu Beneuentanum una cum ecclesia sancte Cristine posita prope Papiam iuxta Padum quarto miliario. (8.) Item in partibus Campanie Soram, Arces, Aquinum, Arbinum, Teanum et Capuam. (9.) Nec non et patrimonia ad potestatem et ditionem vestram pertinentia, sicut est patrimonium Beneuentanum et patrimonium Neapolitanum atque patrimonia Calabrie superioris et inferioris — de civitate autem Neapolitana cum castellis et territoriis ac finibus et insulis suis sibi pertinentibus, sicuti ad easdem aspicere videntur — nec non patrimonium Sicilie, si Deus nostris illud tradiderit manibus. (10.) Simili modo civitatem

Gaietam et Fundim cum omnibus earum pertinentiis. (11.) Insuper offerimus tibi, beate Petre apostole, vicarioque tuo domno Iohanni pape et successoribus eius pro nostre anime remedio nostrique filii et nostrorum parentum de proprio nostro regno civitates et oppida cum piscariis suis, id est Reatem, Amiternum, Furconem, Nursiam, Baluam et Marsim et alibi civitatem Teramnem cum pertinentiis suis. (12.) Has omnes superscriptas provincias, urbes et civitates, oppida atque castella, viculos ac territoria, simulque et patrimonia pro remedio anime nostre et filii nostri sive parentum nostrorum ac successorum nostrorum et pro cuncto a Deo conservato atque conservando Francorum populo iam dicte ecclesie tue, beate Petre apostole, et per te vicario tuo spiritali patri nostro domno Iohanni summo pontifici et universalis pape eiusque successoribus usque in finem seculi eo modo confirmamus, ut in suo detineant iure, principatu atque dictione. (13.) Simili modo per hoc nostre delegationis pactum confirmamus donationes, quas pie recordationis dominus Pippinus rex et postea dominus Karlus excellentissimus imperator beato Petro apostolo spontanea voluntate contulerunt; nec non et censum vel pensionem seu ceteras dationes que annuatim in palacium regis Longobardorum inferri solebant sive de Tuscia sive de ducatu Spoletano, sicut in superscriptis donationibus continetur et inter sancte memorie Adrianum papam et dominum Karlum imperatorem convenient, quando idem pontifex eidem de superscriptis ducatis, id est Tuscano et Spolitano, sue auctoritatis preceptum confirmavit, eo scilicet modo ut annis singulis predictus census ad partem ecclesie beati Petri apostoli persolvatur; salva super eosdem ducatus nostra in omnibus dominatione et illorum ad nostram partem et filii nostri subiectione. (14.) Ceterum, sicut diximus, omnia superius nominata ita ad vestram partem per hoc nostre confirmationis pactum roboramus, ut in vestro permaneant iure, principatu atque ditione et neque a nobis neque a successoribus nostris per quodlibet argumentum sive machinationem in quacumque parte vestra potestas imminuatur aut a vobis inde aliquid subtrahatur de superscriptis videlicet provinciis, urbibus, civitatibus, oppidis, castris, viculis, insulis, territoriis atque patrimoniorum nec non et pensionibus atque censibus; ita ut neque nos ea facturi simus neque quibuslibet ea facere volentibus consenciamus, sed potius omnia, que superius leguntur, id

est provintie, civitates, urbes, oppida, castella, territoria et patrimonia atque insulas censusque et pensiones, ad partem ecclesie beati Petri apostoli atque pontificum in sacratissima sede illius residentium nos in quantum possumus defensores esse testamur, ad hoc ut ea in illius ditione ad utendum et fruendum atque disponendum firmiter valeant optineri. (15.) Salva in omnibus potestate nostra et filii nostri posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto et constitutione ac promissionis firmitate Eugenii pontificis successorumque illius continetur: id est ut omnis clerus et universi populi Romani nobilitas propter diversas necessitates et pontificum inrationabiles erga populum sibi subiectum asperitates retundendas sacramento se obliget, quatinus futura pontificum electio, quantum uniuscuiusque intellectus fuerit, canonice et iuste fiat; et ut ille, qui ad hoc sanctum atque apostolicum regimen eligitur, nemine consentiente consecratus fiat pontifex, priusquam talem in presentia missorum nostrorum vel filii nostri seu universe generalitatis faciat promissionem pro omnium satisfactione atque futura conservatione, quem domnus et venerandus spiritalis pater noster Leo sponte fecisse dinoscitur. (16.) Preterea alia minora huic operi inserenda previdimus, videlicet ut in electione pontificum neque liber neque servus ad hoc venire presumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum; quod si quis contra hanc nostram institutionem ire presumpserit, exilio tradatur. Insuper eciam ut nullus missorum nostrorum cuiuscumque impeditio argumentum componere in prefatam electionem audeat, prohibemus. (17.) Nam et hoc omnimodis instituere placuit, ut qui semel sub speciali defensione domni apostolici sive nostra fuerint suscepti, impetrata iuste utantur defensione; quod si quis in quemquam illorum, qui hoc promeruerint, violare presumpserit, sciat se periculum vite sue esse incursum. (18.) Illud etiam confirmamus, ut domino apostolico iustum in omnibus servent oboedientiam seu ducibus ac iudicibus suis ad iusticiam faciendam. (19.) Huic enim institutioni hoc necessario adnectendum esse perspeximus, ut missi domni apostolici seu nostri semper sint constituti, qui annuatim nobis vel filio nostro renunciare valeant, qualiter singuli duces ac iudices populo iusticiam faciant, hanc imperialem constitutionem

quomodo observent. Qui missi decernimus, ut primum cunctos clamores, qui per neglegentiam duecum seu iudicium fuerint inventi, ad noticiam domni apostolici deferant, et ipse unum e duobus eligat: aut statim per eosdem missos fiant ipse necessitates emendate, aut misso nostro nobis renunciantem per nostros missos a nobis directos emendentur. (20.) Hoc ut ab omnibus fidelibus sancte Dei ecclesie et nostris firmum esse credatur, propriae manus signaculo et nobilium optimatum nostrorum subscriptionibus hoc pactum confirmationis nostre roboramus et bulle nostre impressioni adsignari iussimus. † Signum domni Ottonis serenissimi imperatoris ac suorum episcoporum, abbatum et comitum. † Signum Adalagi Hamaburgiensis ecclesie archiepiscopi. Signum Hartberti Curiensis ecclesie episcopi. Signum Droogonis Osnabrugensis ecclesie episcopi. Signum Votonis Argentenensis ecclesie episcopi. Signum Otuini Hiltinesemensis ecclesie episcopi. Signum Landuuarti Mindonensis ecclesie episcopi. Signum Otgeri Nemetinensis ecclesie episcopi. Signum Geronis Tortunensis ecclesie episcopi. Signum Hucberti Parmanensis ecclesie episcopi. Signum Vuidonis Mutunensis ecclesie episcopi. Signum Hattonis Fuldensis monasterii abbatis. Signum Guntharii Herolfesfeldensis monasterii abbatis. Signum Eberharti comitis. Signum Guntharii comitis. Signum Burgharti comitis. Signum Vtonis comitis. Signum Coonrates comitis. Signum Ernustes. Signum Thietheres, Ricdages, Liupen, Hartuuiges, Arnolues, Ing hilthies, Burchartes, Retinges. Anno dominice incarnationis DCCCCLXII, indict. V., mense Feb., XIII. die eiusdem mensis. Anno vero domni Ottonis imperii invictissimi imperatoris XXVII facta est hec pactio feliciter.

Das Privileg wurde bestätigt durch das Pactum Heinrichs II. mit Benedikt VIII. vom April 1020. MG. Const. I 67.

## Nr. 4.

*Stellung des Königs in der Kirche.*

- a) Stephan II. an Pippin, Karl und Karlmann 755.  
MG. Ep. III 491.

Dominis excellentissimis filiis, Pippino Regi et nostro spiritali compatri seu Carolo et Carlomanno, idem regibus et utrisque patriciis Romanorum, Stephanus papa. . . Rex regum et dominus dominantium salvos vos instituit, ut per

vos sancta Dei ecclesia exaltetur . . . ideo vos Dominus per humilitatem meam, mediante beato Petro, unxit in reges, ut per vos sancta sua exaltetur ecclesia et princeps apostolorum suam suscipiat iustitiam.

b) Paul I. an die fränkischen Bischöfe und das Volk 758—67.

MG. Ep. III 552.

Novus quippe Moyses novusque David . . . effectus est christianissimus et a Deo protectus filius et spiritualis compater, dominus Pippinus, Dei nutu victoriosissimus rex, per quem exaltata Dei ecclesia triumphat et fides catholica ab hereticorum telo inlibata consistit.

c) Hadrian I. an Karl d. Gr. Mai 778.

MG. Ep. III 587.

Domino excellentissimo filio, Carolo Regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa . . . Et sicut temporibus beati Silvestri Romani pontificis a sanctae recordationis piissimo Constantino, magnῳ imperatore, per eius largitatem sancta Dei catholica et apostolica Romana ecclesia elevata atque exaltata est et potestatem in his Hesperiae partibus largiri dignatus, ita et in his vestris felicissimis temporibus atque nostris sancta Dei ecclesia, id est beati Petri apostoli, germinet atque exultet et amplius quam amplius exaltata permaneat, ut omnes gentes, quae haec audierint, edicere valeant: „Domine, salvum fac regem et exaudi nos in die, in qua invocaverimus te; quia ecce novus christianissimus Dei Constantinus imperator his temporibus surrexit, per quem omnia Deus sanctae sue ecclesiae beati apostolorum principis Petri largiri dignatus est.“

d) Priester Kathwulf an Karl d. Gr. ca 775.

MG. Ep. IV 503.

Memor esto ergo semper, rex mihi, Dei regis tui cum timore et amore, quod tu es in vice illius (sc. Dei) super omnia membra eius custodire et regere, et rationem reddere in die iudicii, etiam per te. Et episcopus est in secundo loco, in vice Christi tantum est. Aufgabe des Königs ist: Sponsam Christi vestire cum ornamentis super omnia, id est ecclesiarum privilegia constituere maxima. Monachorum vitam et canonicorum cum episcopis tuis simul virginum monasteriorum regere. Non per laicos, quod scelus . . . , sed per spiritales pastores emendare.

e) Karl d. Gr., Libri Carolini, praef.  
Migne, PL 98, 1002.

Cuius (ecclesiae) quoniam in sinu regni gubernacula Domino tribuente suscepimus, necesse est ut in eius defensione et ob eius exaltationem, Christo auxiliante, toto annisu certemus, ut ab eo boni servi et fidelis nomine censi valeamus. Quod quidem non solum nobis, quibus in huius saeculi procellosis fluctibus ad regendam commissa est, sed etiam cunctis ab eius uberibus enutritis sollicite observandum est: ita tamen ut ab eius unione, qui eius membrum esse dinoscitur, nullatenus abscedat. Quoniam qui cum ea non est, adversus eam est, et qui cum ea non colligit, spargit.

f) Schreiben der italienischen Bischöfe gegen Elipand 794.  
Mansi, Conc. coll. XIII 883.

Catholicum atque clementissimum, semperque inclytum dominum Carolum regem, per intercessiones beatae et gloriose semperque virginis Dei genitricis Mariae, per quam meruimus auctorem suspicere vitae, et beati Petri primi pastoris ecclesiae, omniumque sanctorum, verum etiam suffragantibus precibus vestris, omnipotens et sancta Trinitas sua eum gratia circumcingat, suaque dextera semper protegat et defendat, ut faciat semper quae illi sunt placita, quatenus caelestibus fretus armis, inimicos nominis Christi auxilio fultus de caelo ad terram prosternat. Barbaras etiam nationes infinita Deus omnipotens ditioni eius potentia subdat, ut ex hac occasione ad agnitionem perveniant veritatis, et cognoscant verum et vivum Deum creatorem suum. Regenerati siquidem unda baptismatis, in gremio aggregentur matris ecclesiae, ut impleatur quod bonus pastor promiserat dicens: Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, ut fiat unum ovile et unus pastor. Multiplicetur pax in diebus suis, ut sit sancta ecclesia libera et ab omni strepitu mundi secura; qua libertate Christus eam liberavit: liceatque, domini sacerdotes, iuxta evangelicas et apostolicas canonicasque regulas simpliciter Domino deservire, militare in solis castris Dominicis, quia iuxta eiusdem Domini vocem: „Nemo potest duobus Dominis servire“ et Paulus: „Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut placeat ei, cui se probavit“. Nemo sibi blandiatur, quod utrumque possit, et Deo et mundo

servire, quia veritas est et mentiri non potest qui hoc fieri non posse testatur. Unde supplicandus est tranquillissimus princeps noster, ut ille pro nobis contra visibles hostes pro Christi amore, Domino opitulante, dimicet; et nos pro illo contra invisibles hostes, Domini imprecantes potentiam, spiritualibus armis pugnemus, quatenus vicariam ei tributionem in illa die pro ecclesia sua Dei Filius reperdat, ut quemadmodum ille nunc eam inter tot mundanos tumultus constitutam reddit securam, ita eum illa caelestis regni faciat esse participem. Indulgeat miseratus captivis, subveniat oppressis, dissolvat fasciculos deprimentes, sit consolatio viduarum, miserorum refrigerium, sit dominus et pater, sit rex et sacerdos, sit omnium Christianorum moderantissimus gubernator, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in Trinitate perfecta, per omnia saecula saeculorum. Amen.

g) Alkuin an Karl d. Gr. 796/7.

MG. Ep. IV 176.

... tota sancta Dei ecclesia unanimo caritatis contentu gratias agere Domino Deo omnipotenti debebit; qui tam pium prudentem et iustum his novissimis mundi et periculosis temporibus populo christiano perdonavit clementissimo munere rectorem atque defensorem; qui prava corrigeret et recta conroboratione et sancta sublimare omni intentione studeat, et nomen domini Dei excelsi per multa terrarum spatia dilatare gaudeat, et catholicae fidei lumen in extremis partibus incendere conetur. Haec est, o dulcissime David, gloria laus et merces tua in iudicio diei magni et in perpetuo sanctorum consortio, ut diligentissime populum, excellentiae vestrae a Deo commissum, corrigeret studeas, et ignorantiae tenebris diu animas obcaecatas ad lumen verae fidei deducere coneris.

Nr. 5.

*Gottesstaat.*

a) Einhard, Vita Caroli Imperatoris c. 24.  
MG. SS. II 456.

Delectabatur (Karolus M.) et libris sancti Augustini, praecipue his, qui de civitate Dei praetitulati sunt.

b) Karl d. Gr. an Leo III. 796.

MG. Ep. IV 137.

Karolus gratia Dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum Leoni papae perpetuae beatitudinis in Christo salutem.

... Nostrum est: secundum auxilium divinae pietatis sanctam undique Christi ecclesiam ab incursu paganorum et ab infidelium devastatione armis defendere foris, et intus catholicae fidei agnitione munire. Vestrum est, sanctissime pater: elevatis ad Deum cum Moyse manibus nostram adiuvarе militiam, quatenus vobis intercedentibus Deo ducitore et datore populus christianus super inimicos sancti nominis ubique semper habeat victoriam, et nomen domini nostri Iesu Christi toto clarificetur in orbe. Vestrae vero auctoritatis prudentia ubique inhaereat sanctionibus et sanctorum statuta patrum semper sequatur; quatenus totius sanctitatis exempla omnibus evidenter in vestra fulgeant conversatione et sanctae admonitionis exhortatio audiatur ab ore; quatenus luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificant patrem vestrum, qui in coelis est.

c) Alkuin an Karl d. Gr. 794/5.

MG. Ep. IV 84.

Beata gens, cuius est dominus Deus eorum: et beatus populus tali rectore exaltatus et tali praedicatore munitus; et utrumque: et gladium triumphalis potentiae vibrat in dextera et catholicae praedicationis tuba resonat in lingua. Ita et David olim praecedentis populi rex a Deo electus et Deo dilectus et egregius psalmista Israheli victrici gladio undique gentes subiciens, legisque Dei eximius praedicator in populo extitit. Cuius eximia filiorum nobilitate in salute mundi, de virga flos campi et convallium floruit Christus, qui istis modo temporibus ac eiusdem nominis, virtutis et fidei David regem populo suo concessit rectorem et doctorem. Sub cuius umbra superna quiete populus quiescit christianus, et terribilis undique gentibus extat paganis. Cuius devotio a sectis perversi dogmatis fidem catholicam evangelica soliditate munire non cessat, ne quid novi et apostolicis inconveniens doctrinis per clandestinas subreptiones alicubi oboriri valeat, sed caelestis gratiae lumine fides ubique fulgeat catholica.

## Nr. 6.

*Einheitsgedanke.*

a) Synode von 786 c. 14.

MG. Ep. IV 25.

Sic concordia ubique et unanimitas inter reges et episcopos in una fide, spe et caritate permanens, unum caput habens quod est Christus.

b) Die Bischöfe an Ludwig d. Fr. 829.

MG. Capitul. II 29.

quod universalis sancta Dei ecclesia unum corpus eiusque caput Christus est.

c) Hincmar von Reims, *De divertio Lotharii regis et Tetbergae reginae.*  
Interrog. XII. Responsio.

Migne, PL. 125., 699.

Hoc autem regnum de multorum manibus in manu parentum nostrorum regum Deo gratias fuerat adunatum, et unum regnum una est Ecclesia, quae illorum divisione, qui sicut unus homo et unus rector in uno regimine esse debent, dividi nullatenus debent.

d) Gregor VII. an Herzog Rudolf von Schwaben 1. Sept. 1073.  
Gregorii VII. Registr. I 19 bei Jaffé, Bibl. rer. Germ. II 33.

... ut sacerdotium et imperium in unitate concordiae coniungantur. Nam sicut duobus oculis humanum corpus temporali lumine regitur, ita his duabus dignitatibus in pura religione concordantibus corpus ecclesiae spirituali lumine regi et illuminari probatur.

e) Benedikt III. 7. Oktober 855 an die Bischöfe Galliens.  
Migne, PL 129., 1001.

... Romanae dignitas Ecclesiae una cum terreno principatu utriusque provinciae regnum communi iure disponit, et rerum principes sua decreta Romanae Ecclesiae sancitis praemuniant et ecclesiastica iura principum statutis adiuvantur, aestimantes terrenae reipublicae rectores tunc se feliciter imperare, si suis sanctionibus apostolica confoederetur auctoritas, quam dum in nobis suscipiunt ac venerantur, illum se suscipere gratulantur qui discipulis suis loquitur, dicens: Qui vos recipit, me recipit (Matth. 10, 40). Hinc e contrario de contemptoribus ait: Qui vos spernit, me spernit (Luc. 10, 16).

## Nr. 7.

*Königswahl. Eigenschaften des Königs.*

Synode von 786 c. 12.

MG. Ep. IV 23.

Sanximus, ut in ordinatione regum nullus permittat pravorum praevalere assensum, sed legitime reges a sacerdotibus et senioribus populi elegantur, et non de adulterio vel incaestu procreati: quia sicut nostris temporibus ad sacerdotium secundum canones adulter pervenire non potest, sic nec christus Domini esse valet, et rex totius regni, et heres patriae, qui ex legitimo non fuerit conubio generatus.

## Nr. 8.

*Fidelitätseid.*

Capitulare Missorum generale 802.

MG. Capitul. I 92.

c. 2. De fidelitate promittenda domino imperatori. Precepitque (Karolus), ut omni homo in toto regno suo, sive ecclesiasticus sive laicus, unusquisque secundum votum et propositum suum, qui antea fidelitate sibi regis nomine promisissent, nunc ipsum promissum nominis caesaris faciat; et hui qui adhuc ipsum promissum non perficerunt omnes usque ad duodecimo aetatis annum similiter facerent. Et ut omnes traderetur publice, qualiter unusquisque intellegere posset, quam magna in isto sacramento et quam multa comprehensa sunt, non, ut multi usque nunc extimatorunt, tantum fidelitate domino imperatori usque in vita ipsius, et ne aliquem inimicum in suum regnum causa inimicitiae inducat, et ne alicui infidelitate illius consentiant aut retaciatur, sed ut sciant omnes istam in se rationem hoc sacramentum habere.

c. 3. Primum, ut unusquisque et persona propria se in sancto Dei servitio secundum Dei praeceptum et secundum sponsionem suam pleniter conservare studeat secundum intellectum et vires suas, quia ipse dominus imperator non omnibus singulariter necessariam potest exhibere curam et disciplinam.

c. 5. Ut sanctis ecclesiis Dei neque viduis neque orphanis neque peregrinis fraude vel rapinam vel aliquit iniuriae quis facere praesumat; quia ipse dominus imperator, post Domini et sanctis eius, eorum et protector et defensor esse constitutus est.

## Nr. 9.

*Zusammenwirken der beiden Gewalten.*

a) Capitulare Baiwaricum ca. 810 c. 4.

MG. Capitul. I 158.

Ut episcopi cum comitibus stent et comites cum episcopis, ut uterque pleniter suum ministerium peragere possint.

b) Karls d. Gr. Capitula e canonibus excerpta 813 c. 10.

MG. Conc. II 296.

Ut comites et iudices seu reliquus populus oboedientes sint episcopo et invicem consentiant ad iusticias faciendas et munera pro iudicio non accipient nec falsos testes.

c) Admonitio ad omnes regni ordines 823—25.

MG. Capitul. I 303.

c. 3. Sed quamquam summa huius ministerii in nostra persona consistere videatur, tamen et divina auctoritate et humana ordinatione ita per partes divisum esse cognoscitur, ut unusquisque vestrum in suo loco et ordine partem nostri ministerii habere cognoscatur; unde apparet, quod ego omnium vestrum admonitor esse debeo, et omnes vos nostri adiutores esse debetis. Nec enim ignoramus, quid unicuique vestrum in sibi commissa portione conveniat, et ideo praetermittere non possumus, quin unumquemque iuxta suum ordinem admoneamus.

c. 4. Sed quoniam scimus, quod specialiter pertineat ad episcopos, ut primum ad sacrum ministerium suscipiendum iuste accendant et in eodem ministerio religiose vivant et tam bene vivendo quam recte praedicando populis sibi commissis iter vitae praebant et ut in monasteriis in suis parroechiis constitutis sancta religio observata fiat et ut unusquisque iuxta suam professionem veraciter vivat, curam impendant, omnes vos in hoc sacro ordine constitutos et officio pastorali functos monemus atque rogamus, ut in hoc maxime elaborare studeatis et per vosmet ipsos et per vobis subiectos, quantum ad vestrum ministerium pertinet, nobis vero adiutores in administratione ministerii nobis commissi existatis, ut in iudicio non condemnari pro nostra et vestra neglegentia, sed potius pro utrorumque bono studio remunerari mereamur. Et ubicumque per neglegentiam abbatis aut abbatissae vel comitis sive vassi

nostri aut alieuius cuiuslibet personae aliquod vobis difficultatis in hoc apparuerit obstaculum, nostra dinoscentiae id ad tempus insinuare non differatis, ut, nostro auxilio suffulti, quod vestra auctoritas exposcit, famulante ut decet potestate nostra, facilius perficere valeatis.

c. 7. Vobis vero comitibus dicimus vosque commoneamus, quia ad vestrum ministerium maxime pertinet, ut reverentiam et honorem sanctae Dei ecclesiae exhibeatis et cum episcopis vestris concorditer vivatis et eis adiutorium ad suum ministerium peragendum praebatis et ut vos ipsi in ministeriis vestris pacem et iustitiam faciatis et, quae nostra auctoritas publice fieri decernit, ut in vestris ministeriis studiose perficiantur attendite.

d) Gottesfriede, aus dem Ende des 11. Jhdts. (vielleicht ein Teil des Mainzer Gottesfriedens vom Mai 1085<sup>1</sup>).

MG. Const. I 608.

## Iuramentum pacis dei.

1. Ab adventu Domini usque ad proximum diem lunae post epyphaniam, item a septuagesima usque ad octavam pentecostes, item in omnibus vigiliis et ferialibus festis, et tribus diebus in omni septimana, scilicet a vespera V. feriae usque ad diluculum II. feriae, pax sit ubique, ita ut nemo ledat inimicum suum.

2. Qui occiderit, capitalem subeat sententiam. Qui vulneraverit, manum perdat. Qui pugno percusserit, si nobilis est, libra componat; si liber aut ministerialis, decem solidis; si servus, cute et capillis.

3. Omnis domus, omnis area pacem infra septa sua habeat firmam. Nullus invadat, nullus effringat, nullus infra positos temere inquirere aut violenter opprimere praesumat. Qui presumpserit, cuiuscumque sit conditionis, capite plectatur.

4. Si fugiens aliquis inimicum vel suum vel cuiuslibet septum intraverit, securus inibi sit. Qui vel hastam vel quidlibet armorum ultra sepem post eum immiserit, manum perdat.

<sup>1</sup> Ekkehardi Chronicon universale a. 1085 MG. SS. VI 205: Synodus Mogontiae habetur, cui interfuit imperator; ubi presentibus legatis Romanorum, omnes episcopi rebelles imperatori deponendi iudicantur, ceteri vero anathemate, ut videbatur, condempnantur. Ibi etiam communis consensu atque consilio constituta est pax Dei.

5. Quicumque vero violatio huius pacis imposita fuerit et ipse negaverit, si ingenuus est aut liber, XII probatis se expurget; si servus, tam lito quam ministerialis, iudicio aquae frigidae, ita scilicet ut ipsem in aquam mittatur.

6. Si furtum acciderit aut rapina aut bellum patriae ingruerit, et clamor more patriae exortus fuerit, armati omnes insequantur, et in eundo et redeundo pacem unusquisque habeat. Qui vero absque inevitabili necessitate se subtraxerit, si principum terrae aliquis est, X libras, si nobilis, V, si liber aut ministerialis, II, si lito aut servus, V solidos persolvat aut cutem et capillos perdat.

7. Qui excommunicatum vel quibuslibet sceleribus dampnatum sciens receperit et contra leges vel divinas vel humanas defenderit, sententiam dampnati defensor subeat.

8. Viatori hospitium nemo deneget. Necessaria si habet, aequo sibi precio vendat, si non habet, a vicinis qui habent eadem conventione acquirat. Si hospitium negaverit et necessaria vendere vel acquirere neglexerit, magistrum villae viator appellat, qui convocatis civibus suis rogata negantem ad praesens decapillatum excoriet. Viator si importunus extiterit et violentiam in hospitio exercuerit, vicinos suos hospes convocet, iniuriam denunciet, quorum consilio satisfactionem exigat et recipiat. Quibus si viator non acquieverit, ut raptor dampnetur. Viator si necesse habuerit, duos in agro manipulos, aut si multum tres, equis suis tollat, quos in eodem agro, aut in proxima villa depascat. Pascua pratorum et poma nullus prohibeat.

9. Fugitivum servum nullus defendat. Qui defenderit, poenam fugitiui subeat.

10. Qui convicia in alium dixerit, si miles, baculis multetur, si rusticus, scopis verberetur.

11. Hic finis iuramenti. Quae vero sequuntur, ore omnium laudata et in manus episcoporum promissa et banno roborata sunt: In omni pacis tempore predicto nullus arma ferat, nisi illa quam prescripsimus necessitas exigat.

## Nr. 10.

*Staatliche Fürsorge für die Kirchen und den Gottesdienst.*

- a) Conventus in villa Colonia 843 c. 1.  
MG. Capitul. II 255.

De honore videlicet et cultu Dei atque sanctorum ecclesiarum, quae auctore Deo sub dicione et tuitione regiminis nostri consistunt, communiter Domino mediante decernimus, ut, sicut tempore beatae recordationis domini ac genitoris nostri exultae et honoratae atque rebus ampliatae fuerunt, salva aequitatis ratione ita permaneant, et quae a nostra liberalitate honorantur atque ditantur, de cetero sub integritate sui serventur, et sacerdotes ac servi Dei vigorem ecclesiasticum et debita privilegia iuxta reverendam auctoritatem obtineant; eisdem vero regalis potestas et inlustrium virorum strenuitas seu reipublicae administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter et iuste concurrant.

- b) Königsschutz und Immunität. Ludwig d. Fr. bestätigt der Salzburger Kirche die von Karl d. Gr. verliehene Immunität mit Königsschutz.

6. Februar 816.

Salzburger Urkundenbuch II 14.

... Noverit interea sagacitas seu utilitas omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam et futurorum, quia vir venerabilis Arno, Iuuenensis ecclesiae archiepiscopus neconon Salzburgensem, detulit nobis auctoritates immunitatum domni et genitoris nostri Karoli, bonae memoriae piissimi augusti, in qua erat insertum, qualiter ipsam sedem, quae est in honore sancti Petri, principis apostolorum, ubi etiam sanctus Hruotbertus corpore requiescit, non solum cum cellulis sibi subiectis et re vel hominibus ad se pertinentibus vel aspicientibus sub uno nomine vel defensione consistere fecerat, verum etiam et quicquid ex liberalitate regum reginarumque, ducum vel ceterorum fidelium sanctae dei ecclesiae eidem ecclesiae adtributum est, perpetuo in ditione eius consistaret. Sed pro rei firmitate postulavit nobis praefatus venerabilis Arno archiepiscopus, ut paternum morem sequentes huiuscmodi nostrae immunitatis atque confirmationis praecceptum ob amorem dei et reverentiam ipsius sancti loci circa ipsam ecclesiam

fieri censeremus. Cuius petitioni libenter adsensum praebuimus et hoc nostrae auctoritatis praeceptum erga ipsam ecclesiam immunitatis atque tuitionis gratia fieri decrevimus, per quod praecepimus atque iubemus, ut sicut genitoris nostri praeceptum continebat, ita deinceps inviolabilius conservetur, ut videlicet ea quae eidem ecclesiae retroactis temporibus conlata fuerunt et quae modo a fidelibus iuste conferuntur, vel quae deinceps legaliter conlata fuerint, per hanc firmatatem nostram absque aliquius contrarietate possideat, et nullus iudex publicus vel quilibet ex iudicaria potestate in ecclesiis aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratae ecclesiae, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infractionem imperii nostri iuste et legaliter possidet, vel quae deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri ad causas audiendas vel feda aut tributa exigenda aut mansiones vel paratas facientes aut fideiussores tollendos aut homines ipsius ecclesiae tam ingenuos quam et servos super terram ipsius conmanentes iniuste distingendos, nec ulla redibitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris aut futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quae supra memorata sunt, penitus exigere praesumat, sed liceat memorato praeesuli suisque successoribus res praedictae ecclesiae sub immunitatis nostrae defensione quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere praecepto atque pro incolmitate nostra coniugis ac prolis seu etiam totius imperii a deo nobis concessi atque conservandi iugiter domini misericordiam exorare delectet, et quicquid exinde fiscus sperare poterit, totum nos pro aeterna remuneratione eidem ecclesiae concedimus, ut in alimonia pauperum et stipendia clericorum ibidem deo famulantium perpetuis temporibus proficiat in augmentum. Et ut haec auctoritas nostris futurisque temporibus domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subter firmavimus et anuli nostri impraessione signari iussimus.

c) Capitulare Olonnense ecclesiasticum I 825 c. 4.

MG. Capitul. I 326.

Singulis episcopis, abbatibus, abbatissis duos concedimus advocatos, eosque quam diu advocationem tenuerint ab hoste relaxamus.

### Nr. 11.

#### *Besetzung der Kirchenämter.*

##### *1. Einfluß der Könige und Kaiser auf die Papstwahl.*

a) Paul I. an Pippin 757 (Wahlangeige).

MG. Ep. III 507.

Domino excellentissimo filio, Pippino regi Francorum et patritio Romanorum Paulus Diaconus et in Dei nomine electus sanctae sedis apostolicae.

Cum gravi gemitu et inmenso merore cordis innotescimus a Deo protekte excellentiae tuae, potentissime, vixit rex, Dei vocatione de hac luce ad aeternam requiem esse subtractum sanctae recordationis dominum et germanum meum, Stephanum papam; in cuius etiam transitu et ipsis lapides, si dici potest, nobis conflentes lacrimaverunt. In cuius apostolatus ordinem à cuncta populorum caterva mea infelicitas electa est.

Et dum haec agerentur, convenit Romam Immo, christianissimae excellentiae tuae missus. Et cum eo loquentes, una cum nostris optimatis aptum prospexit: eum hic detineri, donec Dei providentia sacra apostolica benedictione illustrati fuisset; et tunc plenius satisfactus de nostra vel cuncti populi puritate et dilectione, quam erga tuam benignissimam excellentiam et cunctam gentem Francorum gerimus, eum ad vos repandum cum nostris missis apostolicis absolveremus, quoniam nos pro certo agnoscas, excellentissime et a Deo protekte noster post Deum auxiliator et defensor rex, quod firmi et robusti usque ad animam et sanguinis nostri effusionem in ea fide et dilectione et caritatis concordia atque pacis foedera, quae praelatus beatissimae memoriae dominus et germanus meus, sanctissimus pontifex, vobis confirmavit, permanentes et cum nostro populo permanebimus usque in finem.

Unde et indesinenter, extensis palmis ad caelum, pro vitae incolmitate excellentiae tuae atque dulcissimorum filiorum et excellentissimae reginae sospitate domini Dei nostri exoramus clementiam, ut semper tuum auxilium et firmissima protectio extendatur super nos.

Incolomem excellentiam tuam gratia superna custodiat.

2\*

b) Karl d. Gr. an Leo III. 796.

MG. Ep. IV 136.

Karolus gratia Dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum Leoni Papae perpetuae beatitudinis in Christo salutem. Perfectis excellentiae vestrae litteris et audit a decretali cartula, valde, ut fateor, gavisi sumus seu in electionis unanimitate seu in humilitatis vestrae oboedientia et in promissionis ad nos fidelitate; in quibus omnibus ex intimo cordis affectu multiplices divinae pietati agentes gratias, quia nobis post lacrimabile doloris vulnus, quod animae nostrae dilectissimi patris et fidelissimi amici obitus inflxit, tale in vobis solita sua clementiae providentia solatium perdonare dignatus est.

Unde et vestrae sanctitati, quasi vicario laetitiae munere per eiusdem dei et domini nostri Iesu Christi misericordiam, qui sanctae suae ecclesiae in vestrae beatitudinis exaltatione consuluit, nostram omniumque fidelium nostrorum demandamus prosperitatem neconon et pacificam in Dei voluntate totius regni nostri innotescimus unanimitem, ut aequa in nostrae devotionis salute gaudeatis, sicut et nos in vestrae sanctitatis laetemur successibus.

c) Constitutio Romana 824 c. 3.

MG. Capitul. I 323.

Volumus ut in electione pontificis nullus praesumat venire, neque liber neque servus, qui aliquod impedimentum faciat illis solummodo Romanis, quibus antiquitus fuit consuetudo concessa per constitutionem sanctorum patrum eligendi pontificem. Quod si quis contra hanc iussionem nostram facere praesumpserit, exilio tradatur. Eid der Römer:

Promitto ego ille per Deum omnipotentem et per ista sacra quattuor evangelia et per hanc crucem domini nostri Iesu Christi et per corpus beatissimi Petri principis apostolorum, quod ab hac die in futurum fidelis ero dominis nostris imperatoribus Hludowico et Hlothario diebus vitae meae, iuxta vires et intellectum meum, sine fraude atque malo ingenio, salva fide quam repromisi domino apostolico; et quod non consentiam ut aliter in hac sede Romana fiat electio pontificis nisi canonice et iuste, secundum vires et intellectum meum; et ille qui electus fuerit me consentiente consecratus pontifex non fiat, priusquam tale sacramentum

faciat in praesentia missi domini imperatoris et populi, cum iuramento, quale dominus Eugenius papa sponte pro conservatione omnium factum habet per scriptum.<sup>1</sup>

d) Annales Einhardi ad a. 827.

MG. SS. I 216.

. . . quo defuncto (Valentino papa) Gregorius (IV.) presbiter tituli sancti Marci electus, sed non prius ordinatus est, quam legatus imperatoris Romam venit et electionem populi, qualis esset, examinavit.

e) Continuator Reginonis ad a. 965.

MG. SS. I 627.

Eodem etiam anno dominus Leo papa obiit. Tunc legati Romanorum, Azo videlicet protoscrinarius, et Marinus, Sutriensis ecclesiae episcopus, imperatorem (Ottonem I.) pro instituendo quem vellet Romano pontifice in Saxonia adeuntes, honorifice suscipiuntur et remittuntur. Et Otgerus, Spirensis episcopus, et Liuzo, Cremonensis episcopus, cum eisdem Romam ab imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Iohannes, Narniensis ecclesiae episcopus, eligitur et sedi apostolicae pontifex intronizatur.

f) Petrus Damiani, Disceptatio synodalis.

MG. Lib. I 80.

Verumtamen tu hoc negare non potes, quod pater domini mei regis piae memoriae Heinricus (III.) imperator factus est patricius Romanorum, a quibus etiam accepit in electione semper ordinandi pontificis principatum.

g) Papstwahlgesetz Nikolaus II. 1059.

MG. Const. I 539; c. 1 D 23.

. . . Quapropter instructi praedecessorum nostrorum aliorumque sanctorum patrum auctoritate decernimus atque statuimus:

§ 1. Ut, obeunte huius Romanae universalis ecclesiae pontifice, in primis cardinales episcopi diligentissima simul consideratione tractantes, mox sibi clericos cardinales adhibeant; sive reliquus clerus et populus ad consensum novae electionis accedant.

<sup>1</sup> Vgl. c. 28 D 63. (Synode von 898); Privileg Ottos I. 962 n. 15, s. Nr. 3c.

§ 4. Salvo debito honore et reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in praesentiarum rex habetur et futurus imperator Deo concedente speratur, sicut iam sibi concessimus et successoribus illius, qui ab hac apostolica sede personaliter hoc ius impetraverint.

g) Synode von Rom 1060.  
MG. Const. I 550.

Domnus papa Nicholaus synodo in basilica Constantiniана presidens dixit:

4. Nichilominus auctoritate apostolica decernimus quod in aliis conventibus nostris decrevimus: ut si quis pecunia vel gratia humana vel populari seu militari tumultu, sine concordi et canonica electione ac benedictione cardinalium episcoporum ac deinde sequentium ordinum religiosorum clericorum fuerit apostolicae sedi intronizatus, non papa vel apostolicus, sed apostaticus habeatur. Liceatque cardinalibus episcopis cum religiosis et Deum timentibus clericis et laicis invasorem etiam cum anathemate et humano auxilio et studio a sede apostolica repellere, et quem dignum iudicaverint preponere.

## 2. Besetzung der Bistümer.

a) Pippins Kapitular von Soissons vom 2. März 744 c. 3.  
MG. Capitul. I 29.

Idecirco constituimus per consilio sacerdotum et optimatum meorum et ordinavimus per civitates legitimos episcopos; idecirco constituemus super eos archiepiscopos Abel et Ardobertum, ut ad ipsos vel iudicia eorum de omne necessitate ecclesiastica recurrent tam episcopi quam alius populus.

Vgl. Pippin auf der Synode von Verneuil 755 c. 2 (MG. Capitul. I 33): Episcopos quos in vicem metropolitanorum constituimus, ut ceteri episcopi ipsis in omnibus oboediant secundum canonicam institutionem.

b) Karl d. Gr. an Bischof Ghärwald von Lüttich 807.  
MG. Capitul. I 245.

Karolus serenissimus augustus a Deo coronatus Ghaerbaldo episcopo cum universis tibi omnipotente Deo et nostra ordinatione commissis in Domino salutem.

Annales Laureshamenses ad a. 780 (MG. SS. I 31): Divisitque (Karolus M.) ipsam patriam inter episcopos et presbyteros seu et abbates, ut in ea baptizarent et praedicarent.

c) Karl der Gr. an Bischof Amalar von Trier.  
MG. Ep. V 244.

De episcopis suffraganeis ad ecclesiam Treforum (Trevorum), in qua Domino annuente te presulem esse voluimus, sicut anterius nostram ordinacionem et dispositionem atque iussionem expectasti, volumus, ut, interim quod ad nostrum veneris conloquium, ita expectes.

d) Leo III. an Karl d. Gr. 798.  
MG. Ep. V 59.

Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Leo papa. Dum per vestra laboriosa regalia certamina sancta catholica et apostolica Romana ecclesia de omnibus bonis ditata exultat, convenit nos in omnibus adimplere vestris legalibus votis. Quapropter venientes ad nos per vestram regalem sanctionem prudentissimi atque fidelissimi missi vestri unus ex ipsis eximiis, missus videlicet praecellentissimus Fardulfus, religiosus abbas, fidelissimus vester, familiariter viva voce innotuit nobis, quod vestra a deo protecta regalis excellentia mandasset nobis per ipsum, quod Arnoni episcopo pallium tribueremus et in provincia Baiowariorum archiepiscopum constitueremus. Et dum multum ipsos praefatos praecipuosque viros sine reprehensione cognovissemus eos viros esse fideles, libenti secundum vestram regalem demandacionem accommodavimus animo et praefato reverentissimo et sanctissimo Arnoni episcopo usum pallii concessimus utendi et in provincia Baiowariorum eum canonice ordinavimus archiepiscopum.

e) Capitulare ecclesiasticum 818/19 c. 2.  
MG. Capitul. I 276.

Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta ecclesia suo liberius potiretur honore, adsensum ordini ecclesiastico praebuimus, ut scilicet episcopi per electionem cleri et populi secundum statuta canonum de propria dioecesi, remota personarum et munera acceptione, ob vitae meritum et sapientiae donum elegantur, ut exemplo et verbo sibi subiectis usquequaque prodesse valeant.

f) Ludwig der Deutsche an Hadrian II. 870.  
MG. Ep. VI 248.

... Nunc igitur, ut momenti locutio longae dictionis non capiat excessum, agnoseat sanctitudo vestra, divae

memoriae praedecessoris vestri vestraque auctoritate in Coloniensi sede praeclarum pastorem, ut credimus, subrogatum esse. Doluimus etenim praedictam ecclesiam septennio proprio pastore esse viduatam, quo in tempore multas pertulit caedes, vastationes, praedas, fraudes durasse dominationes ... Quam ob rem in iam dictam metropolim cum consensu cleri et plebis canonice elegimus et praefecimus<sup>1</sup> pro sua sanctitate et religione archiepiscopum nomine Wilibertum, quem vestrae beatitudini ut proprium humiliter commendamus et archiepiscopale pallium ex more sanctificando modo ei largiri et mitti obnixe imploramus, ut vestra auctoritate infulatus nobiscum exornet sanctae et individuae Trinitatis sacramentum.

g) Gregors VII. Investiturverbot 1075.

Arnulfi Gesta archiepiscoporum Mediolanensium IV 7.

MG. SS. VIII 27.

Praefatus papa (Gregorius VII.) habita Romae synodo palam interdicit regi, ius deinde habere aliquod in dandis episcopatibus, omnesque laicas ab investituris ecclesiarum summovet personas. Insuper facto anathemate cunctos regis clamat consiliarios, id ipsum regi comminatus, nisi in proximo huic oboediatur constituto.

h) Gregors VII. Investiturverbot auf der Fastensynode 1078.

Chronik des schwäbischen Annalisten (Berthold).

MG. SS. V 308.

In laicos quoque cuiuscumque dignitatis data est sententia anathematis, sive clericos, nec non in omnes personas, quicumque contra sacerorum canonum decreta episcopatus, abbatias, praeposituras, qualescumque aecclesias, decimas, vel quascumque aecclesiasticas dignitates, cuilibet clero seu cuicunque personae iuxta usurpationem suam antiquam in beneficium dare, et quod domino Deo prius canonica et legittima traditione in proprietatem et servitium legaliter delegatum est, hoc quasi proprium quiddam et hereditarium laica et non consecrata Deo manu, consecratis Deo altaris et aecclesiasticae dispensationis ministris procurandum et ordinandum contradere seu praestare omnino praesumpserint.

<sup>1</sup> Vgl. das Schreiben Ludwigs des Deutschen an Kaiser Ludwig II. 870 (MG. Ep. VI 250): Ubi, salva pace ecclesiae Romanae, cum consensu et electione episcoporum nostrorum et ipsius metropolis cleri et plebis praefecimus canonice archiepiscopum nomine Willibertum.

i) Bischofswahl zu Anfang des 12. Jahrhunderts.  
Vita Chunradi archiepiscopi c. 5. MG. SS. XI 65.

Forma vero electionis quae tunc fiebat episcoporum et regalium abbatum, talis erat. Defuncto ecclesiae cuiuslibet episcopo vel monasterii abbate, mox ad palatium proficiisci non differunt prepositus, decanus, magister scolarium et prior monasterii, et cum eis maiores et senioris consilii personae de civitate, anulum episcopalem secum portantes et baculum, communicatoque consilio cum his quos in palatio circa imperatorem invenerint episcopis, cancellario et capellanis, secundum beneplacitum et favorem imperatoris, qui sustinendus erat, eligebatur. Iuxta hanc formam etiam his de quo sermo agitur in palatio electus est, et ab imperatore continuo concessione episcopatus confirmatus.

k) Erstes Investiturprivileg Paschals II. vom 12. Februar 1111.

MG. Const. I 140.

Paschalis episcopus servus servorum Dei dilecto filio Heinrico eiusque successoribus in perpetuum. Et divine legis institutione sancitum est et sacratis canonibus interdictum, ne sacerdotes curis secularibus occupentur, neve ad comitatum, nisi pro dampnatis eruendis aut pro aliis qui iniuriam patiuntur, accedant. Unde et apostolus Paulus: „Secularia, inquit, iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum“. In regni autem vestri partibus episcopi vel abbates adeo curis secularibus occupantur, ut comitatum assidue frequentare et militiam exercere cogantur. Que nimur aut vix aut nullomodo sine rapinis, sacrilegiis, incendiis aut homicidiis exhibentur. Ministri enim altaris ministri curie facti sunt, quia civitates, ducatus, marchias, monetas, curtes et cetera ad regni servitium pertinentia a regibus acceperunt. Unde etiam mos inolevit ecclesiae intollerabilis, ut episcopi electi nullomodo consecrationem acciperent, nisi prius per manum regiam investirentur. Qua ex causa et symoniace heresis pravitas et ambitio nonnunquam tanta prevaluit, ut nulla electione premissa episcopales cathedre invaderentur. Ali quando etiam vivis episcopis investiti sunt. His et aliis plurimis malis, que per investituras plerumque contigerant, predecessores nostri Gregorius VII., Urbanus II. felicis memorie pontifices excitati, collectis frequenter episcopalibus

conciliis, investituras illas manus laice dampnaverunt, et qui per eas obtinuerent ecclesias deponendos, donatores quoque communione privandos esse censuerunt; iuxta illud apostolicorum canonum capitulum quod ita se habet: „Si quis episcopus seculi potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant.“ Quorum vestigia subsequentes, et nos eorum sententiam episcopali concilio confirmavimus. Tibi itaque, fili karissime rex Heinrice et nunc per officium nostrum Dei gratia Romanorum imperator, et regno regalia illa dimittenda precipimus, que ad regnum manifeste pertinebant tempore Karoli, Ludewici, Heinrici et ceterorum predecessorum tuorum. Interdicimus etiam et sub distinctione anathematis prohibemus, ne quis episcoporum seu abbatum, presentium vel futurorum, eadem regalia invadant, id est civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, teloenum, mercatum, advocatias regni, iura centurionum et curtes que manifeste regni erant, cum pertinentiis suis, militiam et castra regni, nec se deinceps nisi per gratiam regis de ipsis regalibus intromittant. Set nec posteris nostris liceat, qui post nos in apostolica sede successerint, te aut regnum super hoc inquiaetare negotio. Porro ecclesias cum oblationibus et hereditariis possessionibus, que ad regnum manifeste non pertinebant, liberas manere decernimus, sicut in die coronationis tuae omnipotenti Domino in conspectu totius ecclesiae promisisti. Oportet enim episcopos curis secularibus expeditos curam suorum agere populorum nec ecclesiis suis abesse diutius. Ipsi enim iuxta apostolum Paulum pervigilant, tamquam rationem pro animabus eorum reddituri.

I) Investiturprivileg Paschals II. (sog. „Pravileg“) vom 11. April 1111.

MG. Const. I. 144.

Paschalis episcopus servus servorum Dei karissimo in Christo filio Heinrico gloriose Teutonicorum regi et per Dei omnipotentis gratiam Romanorum imperatori augusto salutem et apostolicam benedictionem. Regnum vestrum sanctae Romanae ecclesiae singulariter coherere, dispositio divina constituit. Predecessores siquidem vestri probitatis et prudentiae amplioris gratia Romanae urbis coronam et imperium consecuti sunt. Ad cuius videlicet coronae et imperii dignitatem tuam quoque personam, fili karissime Heinrice, per nostri sacerdotii ministerium maiestas divina

provexit. Illam igitur dignitatis prerogativam, quam predecessores nostri vestris predecessoribus catholicis imperatoribus concederunt et privilegiorum paginis confirmaverunt, nos quoque dilectioni tuae concedimus et presentis privilegii pagina confirmamus, ut regni tui episcopis vel abbatibus libere, preter violentiam et simoniam, electis investituram virgae et anuli conferas. Post investitionem vero canonice consecrationem accipiant ab episcopo ad quem pertinuerint. Si quis autem a clero et populo preter assensum tuum electus fuerit, nisi a te investiatur, a nemine consecretur [exceptis nimirum illis qui vel in archiepiscoporum vel in Romani pontificis solent dispositione consistere]. Sane archiepiscopi vel episcopi libertatem habeant a te investitos episcopos vel abbates canonice consecrandi. Predecessores enim vestri ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliarunt, ut regnum ipsum episcoporum maxime vel abbatum presidiis oporteat communiri, et populares dissensiones, que in electionibus sepe continentur, regali oporteat maiestate compesci. Quam ob rem prudentie et potestati tue cura debet sollicitius imminere, ut Romanae ecclesiae magnitudo et ceterarum salus tuis prestante domino beneficiis et serviciis conservetur. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona hanc nostre concessionis paginam sciens, contra eam temerario ausu venire temptaverit, anathematis vinculo, nisi resipuerit, innodetur honorisque ac dignitatis periculum patiatur. Observantes autem misericordia divina custodiat et personam potestatemque tuam ad honorem suum et gloriam feliciter imperare concedat.

m) Konkordat von Worms vom 23. September 1122.

MG. Const. I. 159.

### I. Privilegium Imperatoris.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Heinricus Dei gratia Romanorum imperator augustus pro amore Dei et sancte Romane ecclesie et domini pape Calixti et pro remedio anime mee dimitto Deo et sanctis Dei apostolis Petro et Paulo sancteque catholice ecclesie omnem investituram per anulum et baculum, et concedo in omnibus ecclesiis, que in regno vel imperio meo sunt, canoniam fieri electionem et liberam consecrationem. (2) Possessiones et regalia beati Petri, que a principio huius discordie usque ad hodiernam diem sive tempore patris

mei sive etiam meo ablata sunt, que habeo, eidem sancte Romane ecclesie restituo, que autem non habeo, ut restituantur fideliter iuvabo. (3) Possessiones etiam aliarum omnium ecclesiarum et principum et aliorum tam clericorum quam laicorum, que in werra ista amisse sunt, consilio principum vel iusticia, que habeo, reddam, que non habeo, ut redditantur fideliter iuvabo. (4) Et do veram pacem domino pape Calixto sancteque Romane ecclesie et omnibus qui in parte ipsius sunt vel fuerunt. (5) Et in quibus sancta Romana ecclesia auxilium postulaverit, fideliter iuvabo et, de quibus mihi fecerit querimoniam, debitam sibi faciam iusticiam. Hec omnia acta sunt consensu et consilio principum quorum nomina subscripta sunt: Adelbertus archiepiscopus Mogontinus, F. Coloniensis archiepiscopus, H. Ratisbonensis episcopus, O. Bauenbergensis episcopus, B. Spirensis episcopus, H. Augustensis, G. Traiectensis, O. Constanciensis, E. abbas Wldensis, Heinricus dux, Fridericus dux, S. dux, Pertolhus dux, marchio Teipoldus, marchio Engelbertus, Godefridus Palatinus, Otto Palatinus comes, Beringarius comes.

Ego Fridericus Coloniensis archiepiscopus et archicancellarius recognovi.

## II. Privilegium Pontificis.

Ego Calixtus episcopus servus servorum Dei tibi dilecto filio Heinrico Dei gratia Romanorum imperatori augusto concedo, electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in praesentia tua fieri, absque simonia et aliqua violentia; ut si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani et conprovincialium consilio vel iudicio, saniori parti assensum et auxilium praebreas. Electus autem regalia per sceptrum a te recipiat et quae ex his iure tibi debet faciat. (2) Ex aliis vero partibus imperii consecratus infra sex menses regalia per sceptrum a te recipiat et quae ex his iure tibi debet faciat; exceptis omnibus quae ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur. (3) De quibus vero mihi querimoniam feceris et auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum auxilium tibi praestabo. (4) Do tibi veram pacem et omnibus qui in parte tua sunt vel fuerunt tempore huius discordiae.

## 3. Das niedere Eigenkirchenwesen.

a) Kapitular von Frankfurt 794 c. 54.  
MG. Conc. II. 171.

De ecclesiis, quae ab ingenuis hominibus construuntur: licet eas tradere, vendere, tantummodo ut ecclesia non destruatur, sed servintur cotidie honores.

b) Capitula ecclesiastica ad Salz data 803/4, c. 3.  
MG. Capitul. I 119.

Quicumque voluerit in sua proprietate ecclesiam aedicare, una cum consensu et voluntate episcopi in cuius parrochia fuerit licentiam habeat; verumtamen omnino praevidendum est, ut aliae ecclesiae antiquiores propter hanc occasionem nullatenus suam iustitiam aut decimam perdant, sed semper ad antiquiores ecclesias persolvantur.

c) Capitulare ecclesiasticum 818/19.  
MG. Capitul. I 275.

c. 6. De servorum vero ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos indiscrete promovebantur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordari debere; et statutum est, ut nullus episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promovere praesumat, nisi prius a dominis propriis libertatem consecuti fuerint. Et si quilibet servus dominum suum fugiens, aut latitans aut adhibitis testibus munere conductis vel corruptis aut qualibet calliditate vel fraude, ad gradus ecclesiasticos pervenerit, decretum est ut deponatur, et dominus eius eum recipiat. Si vero avus vel pater ab alia patria in aliam migrans in eadem provincia filium genuerit, et ipse filius ibidem educatus et ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit et utrum servus sit ignoraverit, et postea veniens dominus illius legibus eum adquisiverit, sancitum est ut, si dominus eius illi libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat; si vero eum catena servitutis a castris dominicis extrahere voluerit, ut gradum amittat: quia iuxta sacros canones vilis persona manens sacerdotii dignitate fungi non potest. De rebus vero illorum vel peculiare, qui a propriis dominis libertate donantur ut ad gradus ecclesiasticos iure promoveantur, statutum est, ut in potestate dominorum consistat, utrum illis concedere an sibi vindicare velint; ceterum si post ordinationem aliquid adquisiverint, illud

observetur quod in canonibus de consecratis nihil habentibus constitutum est. De ecclesiarum vero servis communī sententia decretum est, ut archiepiscopi per singulas provincias constituti nostram auctoritatem, suffraganei vero illorum exemplar illius penes se habeant; et quandocumque de familia ecclesiae utilis inventus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, et coram sacerdotibus vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet callicitate, libertatem consequatur et tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoveatur. Similiter quoque de his agendum est, quos laici de familia ecclesiarum ad sacros ordines promovere voluerint; sed et de his quos praepositi canonorum aut monachorum ordinandos expetiverint eadem forma servanda est.

9. Statutum est, ut sine auctoritate vel consensu episcoporum presbyteri in quibuslibet ecclesiis nec constituantur nec expellantur; et si laici clericos probabilis vitae et doctrinae episcopis consecrandos suisque in ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos reiciant.

10. Sanccitum est, ut unicuique ecclesiae unus mansus integer absque alio servitio adtribuatur, et presbyteri in eis constituti non de decimis neque de oblationibus fidelium, non de domibus neque de atriis vel hortis iuxta ecclesiam positis neque de praescripto manso aliquod servitium faciant praeter ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant.

11. Statutum est, postquam hoc impletum fuerit, ut unaquaeque ecclesia suum presbyterum habeat, ubi id fieri facultas providente episcopo permiserit.

12. Sanccitum est de villis novis et ecclesiis in eisdem noviter constructis, ut decimae de ipsis villis ad easdem ecclesiis conferantur.

c. 29. Nonnulla vero capitula, sicut de incestis nuptiis, neconon et de ecclesiis quae inter coheredes dividuntur et tali occasione proprio honore carent, sive de his ecclesiis quae nimium rebus propriis sunt adtenuatae, vel certe de his rebus quae nuper necessitate compellente a nonnullis ecclesiis sunt ablatae, et si qua sunt alia sive in ecclesiasticis sive in publicis rebus emendatione digna, quae pro-

temporis brevitate efficere nequivimus, in tantum differendum illud dignum iudicavimus, donec, Domino favente, consultu fidelium facultas nobis id efficiendi ab eo tribuatur.

d) Synode von Koblenz 922 c. 9.

MG. Const. I 630.

Perlatum est quoque ad eandem sacram synodus, quosdam seculares inrationabiliter aliquibus presbiteris suas aecclias commendasse et pro libitu suo cum voluerint auferre. Quo circa unanimiter firmari convenit, ut nullus presbiter deinceps aliquam suscipiat aeccliam, nisi in presentia episcopi vel eius vicariorum, nec habeat quilibet laicus ullam potestatem eam auferendi sine iudicio episcopi aut eius archipresbiterorum... Cum vero defunctus fuerit, nullum dominium in substantiae illius possessionibus sibi aecclias dominus vendicet, sed duae partes in elemosinam pro ipsis largiantur anima, tertia autem pars aeccliae cui servivit profutura relinquatur.

e) Synode von Seligenstadt 1023 c. 13.

MG. Const. I 638.

Item decretum est, ut nullus laicorum alicui presbitero aeccliam suam commendet preter consensum episcopi, sed eum prius mittat suo episcopo vel eius vicario, ut probetur, si scientia, aetate et moribus talis sit, quod sibi populus Dei digne commendari possit.

f) Synode von Bourges 1031 c. 22.

Mansi XIX 505.

Ut nullus laicus presbyteros in suis ecclesiis mittat, nisi in manu episcopi sui, quia episcopus curam animarum debet unicuique presbytero commendare de parochiis ecclesiarum singularum.

## II. Staatskirchliche Gesetzgebung.

Nr. 12.

*Karls d. Gr. erstes Kapitular ca. 769.*

MG. Capitul. I 44.

Karolus, gratia Dei rex regnique Francorum rector et devotus sanctae ecclesiae defensor atque adiutor in omnibus. Apostolicae sedis hortatu, omniumque fidelium nostrorum, et maxime episcoporum ac reliquorum sacerdotum, consultu servis Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum et in hostem pergere, omnino prohibemus, nisi illi tantummodo qui propter divinum ministerium, missarum scilicet solemnia adimplenda et sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt. Id est unum vel duos episcopos cum capellanis presbyteris princeps secum habeat, et unusquisque praefectus unum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare et indicare poenitentiam possit.

2. Ut sacerdotes neque christianorum neque paganorum sanguinem fundant.

3. Omnibus servis Dei venationes et silvaticas vagationes cum canibus, et ut accipitres et faleones non habeant interdicimus.

4. Statuimus, ut secundum canonicam cautelam omnes undecunque supervenientes ignotos episcopos vel presbyteros ante probationem synodalem in ecclesiasticum ministerium non admitteremus.

5. Si sacerdotes plures uxores habuerint vel sanguinem christianorum vel paganorum fuderint aut canonibus obviaverint, sacerdotio priventur, quia deteriores sunt secularibus.

6. Decrevimus, ut secundum canones unusquisque episcopus in sua parochia sollicitudinem adhibeat, adiuvante grafione qui defensor ecclesiae est, ut populus Dei paganias non faciat, sed ut omnes spurcitas gentilitatis abiciat et respuat, sive profana sacrificia mortuorum sive

sortilegos vel divinos sive phylacteria et auguria sive incantationes sive hostias immolatias, quas stulti homines iuxta ecclesias ritu pagano faciunt sub nomine sanctorum martyrum vel confessorum Domini, qui potius quam ad misericordiam sanctorum suos ad iracundiam provocant.

7. Statuimus, ut singulis annis unusquisque episcopus parochiam suam sollicite circumeat, et populum confirmare et plebes docere et investigare, et prohibere paganas observationes divinosque vel sortilegos aut auguria, phylacteria, incantationes vel omnes spurcitas gentilium studeat.

8. Decrevimus quoque iuxta sanctorum canones, ut unusquisque presbyter in parochia habitans episcopo subiectus sit illi in cuius parochia habitat, et semper in quadragesima rationem et ordinem ministerii sui, sive de baptismo sive de fide catholica sive de precibus et ordine missarum, episcopo reddat et ostendat. Et quocunque iure canonico episcopus circumeat parochiam populos ad confirmandos, presbyter semper paratus sit ad suscipiendum episcopum cum collectione et adiutorio populi qui ibi confirmari debet. Et in coena Domini semper novum chrisma ab episcopo suo quaerat, et de vetere nullus baptizare presumat, sed ardere in luminaribus ecclesiae vetus non tardet.

9. Ut nemo accipiat ecclesiam infra parochiam sine consensu episcopi sui, nec de una ad aliam transeat.

10. Ut de incestis et criminosis magnam curam habent sacerdotes, ne in suis pereant sceleribus, et animae eorum a districto iudice Christo eis requirantur. Similiter de infirmis et poenitentibus, ut morientes sine sacra olei unctione et reconciliatione et viatico non deficiant.

11. Ut iejunium quatuor temporum et ipsi sacerdotes observent et plebi denuntient observandum.

12. Ut ad mallum venire nemo tardet, primum circa aestatem, secundo circa autumnum. Ad alia vero placita, si necessitas fuerit vel denunciatio regis urgeat, vocatus venire nemo tardet.

13. Ut, quando denuntiatum fuerit pro rege vel pro fidelibus suis qualibet causa orationes facere, nemo ex hoc neglegens appareat.

14. Nullus sacerdos nisi in locis Deo dicatis, vel in itinere positus in tabernaculis et mensis lapideis ab episcopo consecratis, missas celebrare presumat. Quod si praesumpserit, gradus sui periculo subiacebit.

15. Sacerdotes, qui rite non sapiunt adimplere ministerium suum nec discere iuxta praecceptum episcoporum suorum pro viribus satagunt vel contemptores canonum existunt, ab officio proprio sunt submovendi, quousque haec pleniter emendata habeant.

16. Quicunque autem a suo episcopo frequenter admonitus de sua scientia, ut discere curet, facere neglexerit, procul dubio et ab officio removeatur et ecclesiam quam tenet amittat, quia ignorantes legem Dei eam aliis annuntiare et praedicare non possunt.

[17. Ut nullus iudex neque presbyterum neque diaconum aut clericum aut iuniorem ecclesiae extra conscientiam pontificis per se distingat aut condemnare praesumat. Quod si quis hoc fecerit, ab ecclesia cui iniuriam inrogare dinoscitur tamdiu sit sequestratus, quamdiu reatum suum cognoscat et emendet.

18. Ut nullus episcoporum vel secularium cuiuscunque alterius episcopi sive ecclesiae sive privati res, aut regnum divisione aut provinciarum sequestratione, competere aut retinere praesumat. Quod si quis hoc facere tentaverit, tamdiu sit ab omnium caritate suspensus et a communionis gratia sequestratus, quoadusque res ablatas cum fructuum satisfactione restituat.]

### Nr. 13.

*Karls d. Gr. Capitulatio de partibus Saxoniae, 775—790.*

MG. Capitul. I 68.

Constitute sunt primum de maioribus capitulis. Hoc placuit omnibus, ut ecclesiae Christi, que modo construuntur in Saxonia et Deo sacrae sunt, non minorem habent honorem sed maiorem et excellentiorem quam vana habuerint idolorum.

2. Si quis confugiam fecerit in ecclesiam, nullus eum de ecclesia per violentiam expellere praesumat, sed pacem habeat usque dum ad placitum praesentetur, et propter honorem Dei sanctorumque ecclesiae ipsius reverentiam concedatur ei vita et omnia membra. Emendet autem causam in quantum potuerit et ei fuerit iudicatum; et sic ducatur ad praesentiam domini regis, et ipse eum mittat ubi clementiae ipsius placuerit.

3. Si quis ecclesiam per violentiam intraverit et in ea per vim vel furtu aliquid abstulerit vel ipsam ecclesiam igne cremaverit, morte moriatur.

4. Si quis sanctum quadragensimale ieunium pro despactu christianitatis contempserit et carnem comederit, morte moriatur; sed tamen consideretur a sacerdote, ne forte causa necessitatis hoc cuilibet proveniat ut carnem commedat.

7. Si quis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum flamma consumi fecerit et ossa eius ad cinerem redierit, capitae punietur.

8. Si quis deinceps in gente Saxonorum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit et ad baptismum venire contempserit paganusque permanere voluerit, morte moriatur.

17. Similiter secundum Dei mandatum praecipimus, ut omnes decimam partem substantiae et laboris suis ecclesiis et sacerdotibus donent: tam nobiles quam ingenui similiter et liti, iuxta quod Deus unicuique dederit christiano, partem Deo reddant.

18. Ut in dominicis diebus conventus et placita publica non faciant, nisi forte pro magna necessitate aut hostilitate cogente, sed omnes ad ecclesiam recurrent ad audiendum verbum Dei et orationibus vel iustis operibus vacent. Similiter et in festivitatibus praeclaris Deo et ecclesiae conventui deserviant et secularia placita demittant.

19. Similiter placuit his decretis inserere, quod omnes infantes infra annum baptizantur; et hoc statuimus, ut si quis infantem intra circulum anni ad baptismum offerre contempserit sine consilio vel licentia sacerdotis, si de nobile generi fuerit centum viginti solidos fisco conponant, si ingenuus sexaginta, si litus triginta.

20. Si quis prohibitum vel inlicitum coniugium sibi sortitus fuerit, si nobilis solidos sexaginta, si ingenuus triginta, si litus quindecim.

21. Si quis ad fontes aut arbores vel lucos votum fecerit aut aliquit more gentilium obtulerit et ad honorem daemonum commederet, si nobilis fuerit solidos sexaginta, si ingenuus triginta, si litus quindecim. Si vero non haberent unde praesimaliter persolvant, ad ecclesiae servitium donentur usque dum ipsi solidi solvantur.

22. Iubemus ut corpora christianorum Saxonorum ad cimiteria ecclesiae deferantur et non ad tumulus paganorum.

23. Divinos et sortilegos ecclesiis et sacerdotibus dare constituimus.

## Nr. 14.

*Innere Kirchenangelegenheiten.*

Kapitulare von Frankfurt 794.

MG. Conc. II 165.

Coniungentibus, Deo favente, apostolica auctoritate atque piissimi domni nostri Karoli regis iussione anno XXVI. principatus sui cunetis regni Francorum seu Italiae, Aquitaniae, Provintiae episcopis ac sacerdotibus synodali concilio, inter quos ipse mitissimus sancto interfuit conventui. Ubi in primordio capitulorum exortum est de impia ac nefanda erese Elipandi Toletane sedis episcopi et Felicis Orgellitanae eorumque sequacibus, qui male sentientes in Dei filio adserabant adoptionem: quam omnes qui supra sanctissimi patres et respuentes una voce contradixerunt atque hanc heresim funditus a sancta ecclesia eradicandam statuerunt.

c. 2. Allata est in medio questio de nova Grecorum synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopolim fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imagines sanctorum ita ut deificam trinitatem servitio aut adorationem non impenderent, anathema iudicaverunt: qui supra sanctissimi patres nostri omnimodis adorationem et servitutem renuentes contempserunt atque consentientes condempnaverunt.

## Nr. 15.

*Eintritt in den Dienst der Kirche von königlicher Genehmigung abhängig.*

a) Capitulare Missorum von Diedenhofen 805 c. 15.

MG. Capitul. I 125.

De liberis hominibus qui ad servitium Dei se tradere volent, ut prius hoc non fatiant quam a nobis licentiam postulent. Hoc ideo, quia audivimus aliquos ex illis non tam causa devotionis quam exercitu seu alia funkcione regali fugiendo, quosdam vero cupiditatis causa ab his qui res illorum concupiscent circumventos audivimus, et hoc ideo fieri prohibemus.

## b) Konzil von Chalons 813 c. 7.

MG. Conc. II 275.

Constituit sane sacer iste conventus, ut episcopi sive abbates, qui non in fructum animarum, sed in avaritiam et turpe lucrum inhiantes quoslibet homines inlectos circumveniendo totonderunt et res eorum tali persuasione non solum acceperunt, sed potius subripuerunt, penitentiae canonicae sive regulari utpote turpis lucri sectatores subiaceant.

## c) Capitula e canonibus excerpta 813 c. 6.

MG. Conc. II 295.

Ut plus non mittatur in monasterio canonicorum atque monachorum seu puellarum, quam sufferri possit.

## Nr. 16.

*König und Synode.*

a) Synode von Verneuil 755 praefer.

MG. Capitul. I 33.

Gloriosissimus atque relegiosus inluster vir, Francorum rex Pippinus, universos paene Galliarum episcopos aggregari fecit ad concilium Vernus palatio publico, recuperare aliquantis per cupiens instituta canonica.

## b) Konzil von Mainz 813.

MG. Conc. II 259.

In nomine patris et filii et Spiritus sancti. Gloriosissimo et christianissimo imperatori Karolo Augusto, verae religionis rectori ac defensori sanctae Dei ecclesiae, una cum prole sua eiusque fidelibus vita et salus, honor et benedictio cum victoria sine fine mansura . . . De his tamen omnibus valde indigemus vestro adiutorio atque sana doctrina, quae et nos iugiter admoneat atque clementer erudit, quatenus ea, quae paucis subter perstrinximus capitulis, a vestra auctoritate fermentur, si tamen vestra pietas ita dignum esse iudicaverit, et quicquid in eis emendatione dignum repperitur vestra magnifica imperialis dignitas iubeat emendare, ut ita emendata nobis omnibus et cunctae Christianae plebi ac posteris nostris proficiant ad vitam et salutem et ad gloriam sempiternam, vobisque inde merces, honor et laus et benedictio ac beatitudo permaneat in omnes aeternitates saeculi, amen.

c) Konvent und Synode von Erfurt 932.

MG. Const. I 3.

Anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi DCCCCXXXII, anno etiam domni Heinrici regis christianissimi XIII, indictione quinta, sub die Kalendarum Iuniarum congregata est apud Erphesfurt sancta et universalis synodus, ut rex sapientissimus cum consilio primatum suorum decrevit, inspirante omnium Salvatoris clementia, pro utilitate et statu sanctae matris ecclesiae.

d) Aus den Leges Papienses Heinrichs II. und Benedikts VIII.

1. August 1022.

MG. Const. I 75.

Decretum domni papae B(enedicti).

I. Ut nullus in clero mulierem attingat.

II. Ut episcopus nullam feminam habeat neque cum aliqua habitet.

III. Ut filii clericorum, servorum ecclesiae, servi sint ecclesiae cum omnibus adquisitis.

IV. Ut filiis clericorum, servorum ecclesiae, nullus iudex libertatem promittat.

V. Ut servi ecclesiarum per manus liberi nihil adquirant.

VI. Ut ille, qui chartam per suas manus accipit, finem ecclesiae faciat.

VII. Ut nullus iudex aut tabellio chartas scribant, quas servi ecclesiae per manus liberi adquirunt.

Hoc autem ecclesiae Dei testamentum, contra malignantes Deo auctore auctoramentum, dilectissimi filii nostri H. augusti edicti lege firmari, corroborari et humanis inscri et inscribi legibus volumus, et per omnem imperii sui latitudinem ut suscipiatur, teneatur et publica auctoritate omni tempore iudicetur, omnes in commune oramus et obsecramus. Erit enim Deo volente in aeternum validetur, si, quod ecclesiastica gravitas prohibet, publico fuerit vigore exterminatum. Nec factiosi huius decreti scientiam dissimulabunt, quae omnium libris inscripta, per ora omnium evolabit: nec impune putabunt audendum quod publica damnum severitate cognoverint.

Responsio augusti.

Nihil tibi, sanctissime papa B(enedicte), possum negare, cui per Deum omnia debeo, praesertim cum iusta petas, honesta cum iustis fratribus suggeras et me in consortium

sanctae sollicitudinis ideo advokes, ut sicut laboris, ita participes simus et gaudii. Gratias itaque sancto episcopatu tuo iure habeo uberes, qui et salubriter componit ecclesiam et a clericorum incontinentia, unde omne malum velut ab aquilone super terram emersit, correctionis vigilanter fecit principium. Omnia quidem, quae pro ecclesiae necessaria reparatione synodaliter instituit et reformavit paternitas tua, ut filius laudo, confirme et approbo; et ut omnes sint paratores, ea me inviolabiliter servaturum adiuvante Deo promitto. Et in aeternum mansura et inter publica iura semper recipienda et humanis legibus solenniter inscribenda hac nostra auctoritate, vivente ecclesia per Dei gratiam victura, cum senatoribus terrae, cum domesticis palatiis et amicis rei publicae coram Deo et ecclesia ita corroboramus.

Nr. 17.

#### Zehntpflicht.

a) Kapitular von Heristall 779 c. 7.

MG. Capitul. I 48.

De decimis, ut unusquisque suam decimam donet, atque per iussionem pontificis dispensentur.

b) Capitulatio de partibus Saxonie 775—90 c. 16 und 17 s. Nr. 13.

c) Capitulare Missorum 802 (?) c. 56.

MG. Capitul. I 104.

Ut ii qui per beneficium domini imperatoris ecclesiasticas res habent decimam et nonam dare et ecclesiarum restaurationem facere studeant.

Nr. 18.

#### Asylrecht der Kirchen.

a) Capitulare legibus additum 803 c. 3.

MG. Capitul. I 113.

Si quis ad ecclesiam confugium fecerit, in atrio ipsius ecclesiae pacem habeat, nec sit ei necesse ecclesiam ingredi, et nullus eum inde per vim abstrahere praesumat; sed liceat ei confiteri quod fecit et inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publico perducatur.

b) Konzil von Mainz 813 c. 39.  
MG. Conc. II 271.

*Ut ecclesiae pacem habeant. Reum configientem ad ecclesiam nemo abstrahere praesumat neque inde donare ad poenam vel ad mortem, ut honor Dei et sanctorum eius conservetur. Sed et rectores ecclesiarum pacem et vitam ac membra eis obtinere studeant; tamen legitime componant quod inique fecerunt.*

Nr. 19.

*Sendpflicht.*

Konzil von Tribur 895 c. 8.  
MG. Capitul. II 218.

De his, qui contemnunt bannum ab episcopis inpositum. Nemo contemnat neque transgrediatur bannum ab episcopis superpositum. Sciat et abhorreat in epistola beati Clementis dictum contra se scriptum: „Si vobis episcopis non oboedierint omnes, tam maiores quam et inferioris ordinis atque reliqui populi, tribus et linguae, non solum infames, sed et extorres a regno Dei et consortio fidelium a liminibus sanctae Dei ecclesiae alieni erunt.“ Et audiat ipsum Dominum in evangelio dicentem: „Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.“ Quapropter nos evangelicam et apostolicam considerantes auctoritatem, non quaestum pecuniarum, sed lucrum quaerentes animarum statuimus et confirmamus, ut, si quis post hanc huius sancti concilii diffinitionem inventus fuerit, corrupisse bannum ab episcopis inpositum, 40 dierum castigatione corripiatur, tantum in pane, sale et aqua.

Nr. 20.

*Edikt Heinrichs III. de iuramentis clericorum  
vom 3. April 1047.*

MG. Const. I 96.

Heinricus divina pietate secundus Romanorum imperator augustus omnibus. Quoniam legibus cautum est, ut nemo clericorum iurare praesumat, alibi vero reperitur scriptum, ut omnes principales personae in primo litis exordio subeant iuramentum calumpniae, nonnullis legis peritis res venit in dubium: utrum clerici iusurandum

praestare debeant, aut alii personae hoc officium liceat delegare. Quia enim illud constitutionis edictum, ubi clerici iurare prohibentur, a Marciano augusto Constantino praefecto praetorio de Constantinopolitanis clericis promulgatum fuisse videtur, idecirco ad alios clericos pertinere non creditur. Ut ergo ista dubietas ab omnibus penitus auferatur, nos illam divi Marciani constitutionem ita interpretari decrevimus, ut ad omnium ecclesiarum clericos generaliter pertinere iudicetur. Nam cum divus Iustinianus iure decreverit, ut canones patrum vim legum habere opporteat, et in nonnullis patrum canonibus reperiatur, ut clerici iurare non audeant, dignum est, ut totus clericalis ordo a praestando iuramento immunis esse procul dubio censatur. Quapropter nos, utriusque divinae videlicet et humanae legis intentione servata, decernimus et imperiali auctoritate inretractabiliter diffinimus, ut non episcopus, non presbiter, non cuiuscumque ordinis clericus, non abbas, non aliquis monachus vel sanctimonialis in quacumque controversia sive criminali sive civili iusiurandum compellatur qualibet ratione subire, set suis idoneis advocatis hoc officium liceat delegare.

Dat. III. Non. Aprilis in civitate Arimino.

Nr. 21.

*Gerichtsstand des Klerus.*

a) Edikt Clothars II. vom 18. Oktober 614 c. 4.  
MG. Capitul. I 21.

Ut nullum iudicum de qualibet ordine clerecus de civilibus causis, praeter criminale negicia, per se distingere aut damnare praesumat, nisi convictus manefestus, excepto presbytero aut diacono. Qui convicti fuerint de crimine capitali, iuxta canones distingantur et cum pontificibus examinentur.

b) Synode von Verneuil 11. Iuli 755 c. 18.  
MG. Capitul. I 36.

Ut nullus clericus ad iudicia laicorum publica non conveniat nisi per iussionem episcopi sui vel abbatis, iuxta canones Cartaginensis, capitulo IX. ut ibi scriptum est: „Qui relicto ecclesiastico iudicio publicis iudiciis se purgare voluerit, etiamsi pro illo fuerit prolata sententia, locum suum amittat. Hoc in criminali iudicio. In civili vero

perdat quod evicit, si locum suum obtinere voluerit. Qui enim ad elegendos iudices undique ecclesiae patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio iudicat qui, de universa ecclesia male sentendio, seculare de iudicio poscit auxilium, cum privatorum christianorum causas apostolus ad ecclesiam deferri atque ibidem terminare praecipiat.“ Et maxime, ne in talibus causis inquietudine domino rege faciant.

c) II. Kapitular von Mantua 787 c. 1.

MG. Capitul. I 196.

Volumus primo, ut neque abbates et presbiteri neque diaconi et subdiaconi neque quislibet de cleris de personis suis ad publica vel secularia iuditia traantur vel distringantur, sed a suis episcopis adiudicati iustitias faciant. Si autem de possessionibus, seu aecclesiasticis seu propriis, super eos clamor ad iudicem venerit, mittat iudex clamantem cum misso suo ad episcopum, ut faciat eum per advocatum iustitiam recipere. Si vero talis aliqua contentio inter eos orta fuerit que per se pacificare non velint aut non possint, tunc per advocatum episcopi, quem iusserit ipse, causa ipsa ante comite vel iudice veniat, et ibi secundum legem finiatur, anteposito persona clericorum sicut dictum est.

d) Synode von Frankfurt 794.

MG. Capitul. I 74.

c. 6. Statutum est a domno rege et sancta synodo, ut episcopi iusticias faciant in suis paroechiis. Si non obediens aliqua persona episcopo suo de abbatibus, presbiteris, diaconibus, subdiaconibus, monachis et caeteris clericis vel etiam aliis in eius parrochia, venient ad metropolitanum suum, et ille diiudicet causam cum suffraganeis suis. Comites quoque nostri veniant ad iudicium episcoporum. Et si aliquid est, quod episcopus metropolitanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusatu cum litteris metropolitano, ut sciamus veritatem rei.

c. 30. De clericis ad invicem altercantibus aut contra episcopum suum agentibus, sicut canones docent, ita omnimodis peragant. Et si forte inter clericum et laicum fuerit orta altercatio, episcopus et comes simul convenient

et unanimiter inter eos causam diffiniant secundum rectitudinem.

c. 38. De presbyteris, qui contumaces fuerint contra episcopos suos: nequaquam communicentur cum clericis qui in capella regis habitant, nisi reconciliati fuerint ab episcopo suo, ne forte canonica excommunicatio super eos exinde veniat.

c. 39. Si presbyter in criminale opere fuerit deprehensus, ad episcopum suum ducatur et secundum canoncam institutionem constringatur. Et si forte negare volunt, et accusator comprobationem dare non potuerit, et coram episcopo definitum esse nequiverit, tunc ad universalis concilio illorum ratio deferatur.

### III. Anerkennung und Schutz der kirchlichen Ordnung.

Nr. 22.

*a) Anerkennung des Primats.*

Libri Carolini I 6.

Migne, PL 98., 1020.

Nam cum hic cunctis per orbem constitutis sedibus apostolicas generaliter praferat sedes, multo magis illa omnibus praferenda est quae etiam caeteris apostolicis sedibus praelata est. Sicut igitur caeteris discipulis apostoli, et apostolis omnibus Petrus eminent, ita nimurum caeteris sedis apostolicae, et apostolicis Romana eminere dignoscitur. Haec enim nullis synodiceis constitutis caeteris Ecclesiis praelata est, sed ipsius Domini auctoritate primatum tenet, dicentis, Tu es Petrus . . . (Matth. 16). Ad quam beatitudinem nos pervenire, et in sanctae Ecclesiae consortio et unione ille nos faciat perseverare, qui Ecclesiam suam in Petro dignatus est fundare: et ipso interveniente cuius cathedrae sumus sequaces, regni coelorum, cuius ille claviger factus est, mereamur effici compotes.

Kaiser Lothar an Leo IV. 851.

Mansi XIV 884.

Sanctissimo et reverentissimo spiritali patri nostro, Leoni summo pontifici, et universalis papae, Hilotarius divina providentia imperator Augustus, spiritalis filius vester, perennem in Domino salutem.

Sedem apostolicam, quae per beatissimum apostolorum principem in universo orbe, quaqua versum religio christiana diffunditur, caput et fundamentum est sanctitatis, idcirco superna dispositio primatum obtinere voluit ecclesiarum, ut in quibuscumque causis, quaestionibus, sive negotiis ecclesiastica suaderet necessitas, omnes quasi ad normam religionis, fontemque recurrerent aequitatis.

*b) Rezeption der Dionysio-Hadriana.<sup>1</sup>*

Annales Laureshamenses a. 802.

MG. SS. I 39.

Et mense Octimbro congregavit (Karolus M.) universalem synodum in iam nominato loco (Aquisgrani) et ibi fecit episcopos cum presbyteris seu diaconibus relegi universos canones, quas sancta synodus recepit, et decreta pontificum et pleniter iussit eos tradi coram omnibus episcopis, presbyteris et diaconibus.

*c) Erhöhter strafrechtlicher Schutz des Klerus.*

Capitulare legibus additum 803 c. 1 (Ansegis III 25).

MG. Capitul. I 113 (428).

De homicidiis clericorum. Si quis subdiaconum occiderit, CCC solidos componat; qui diaconum, CCCC; qui presbiterum, DC; qui episcopum, DCCCC solidos componat; qui monachum, CCCC solidis culpabilis iudicetur.

*d) Immunität und Königsschutz.*

Vgl. Nr. 10b.

*e) Kirchenvögte.*

Capitulare missorum generale 802 c. 13.

MG. Capitul. I 93.

Ut episcopi, abbates adque abbatissae advocates adque vicedomini centenariosque legem scientes et iustitiam diligentes pacificosque et mansuetus habeant, qualiter per illosque sanctae Dei ecclesiae magis profectum vel merces ad crescere; quia nullatenus neque praepositos neque advocates damnosus et cupidus in monasteria habere volumus, a quibus magis nos blasphemia vel detimenta oriuntur. Sed tales sint, quale eos canonica vel regularis institutio fieri iubet, voluntati Dei subditos et ad omnes iustitia perficiendi semper paratos, legem pleniter observantes absque fraude maligno, iustum semper iudicium in omnibus exercentes, praepositos vero tales, quales sancta regula fieri docet.

Vgl. auch Nr. 10c.

<sup>1</sup> Im Jahre 774 von Hadrian I. an Karl d. Gr. geschickt; verwertet in der sogenannten admonitio generalis von 789 (MG. Capitul. I 52).

## Nr. 23.

*Gewährung des brachium saeculare.*

a) Kapitular Karlmanns vom 21. April 742 c. 5.

MG. Capitul. I 25.

Decrevimus, ut secundum canones unusquisque episcopus in sua parrochia sollicitudinem adhibeat, adiuvante gravione qui defensor ecclesiae est, ut populus Dei paginas non faciat, sed ut omnes spurcitas gentilitatis abiciat et respuat; sive sacrificia mortuorum sive sortilegos vel divinos sive filacteria et auguria sive incantationes sive hostias immolatitias, quas stulti homines iuxta ecclesias ritu pagano faciunt sub nomine sanctorum martyrum vel confessorum, Deum et suos sanctos ad iracundiam provocantes, sive illos sacrilegos ignes, quod nied fyr (Notfeuer) vocant, sive omnes, quaecumque sint, paganorum obseruationes diligenter prohibeant, cum episcopis Langabardiis deliberatum.

b) Capitulare episcopis datum circa 780—790 c. 8.

MG. Capitul. I 189.

De homicidiis et periuriis, sacrilegis et falsis testimoniis, et hoc quod nefandum aut contrarium sacris canones esse videtur: ut hoc pleniter per vestram monitionem et per iudicium comitis emendatum fiat. Et qui hoc facere noluerit, absque tarditate auribus precellentissimi domini nostri vel eius posteribus hoc patefaciat.

c) Ansegis II 23.

MG. Capitul. I 419.

Comites vero ministris ecclesiae in eorum ministeriis, ut hoc plenius et de nostris et de se et de suis hominibus obtinere possint, adiutores in omnibus fiant; et quicumque prima et secunda vice de his a comite ammonitus non se correxerit, volumus ut per eundem comitem eius negligentia ad nostram notitiam perforatur, ut nostra auctoritate, quod in nostro capitulari continetur subire cogatur.

d) König Arnulf auf der Synode von Tribur 895.

MG. Capitul. II 213.

O pastores ecclesiarum Christi et clarissima lumina mundi, agite, quae vobis inposita est, curam postoralem;

et iuxta apostolum, „instate oportune importune, arguite, obsecrate, increpate in omni patientia et doctrina“, ut vigili cura et admonitione sedula oves Christi ad caulas aeternae vitae introducere mereamini. Habetis me omnibus ecclesiae Christi adversantibus et vestro sacerdotali ministerio renitentibus obpositissimum bellatorem, quia, ut apostolus Romanis scribit, „in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos“, et item „si Deus pro nobis, quis contra nos? certus sum enim, quia neque mors neque vita neque instantia neque futura neque ulla creatura poterit nos separare a caritate Dei“ et unanimitate sancta, beatissimi patres.

e) Otto I. auf der Versammlung zu Augsburg 7. August 952.

MG. Const. I 19.

Quibus rex superni amoris igne succensus et zelo divini amoris animatus, mentis corporisque nisu aecclesiasticarum rerum auxiliatorem, defensorem promptissimum esse promittendo certificavit.

f) Aus Konrads II. Edictum de mancipliis ecclesiarum 1027—35.

MG. Const. I 85.

Quamvis pro totius rei publicae longe lateque procuranda utilitate, iugem debeamus sollicitudinem gerere, tamen ut pro ecclesiarum Dei statu sollertiaus invigilemus, nos obligatores esse non ignoramus.

g) Konrad III. an Eugen III. September 1151.

MG. Const. I 188.

Karissimo in Christo patri suo Eugenio sancte Romane aecclesiae summo pontifici Cuonradus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Sicut paternitas vestrae benivolentiam in omnibus nostris nostrorumque negotiis sepe usque nunc experti sumus, sic etiam adhuc in cunctis sentire non dubitamus, celsitudini vestrae hoc repromittentes, quod ad promovendum aecclesiae Dei et vestrum honorem, quanta debemus diligentia, semper erimus parati.

## Nr. 24.

*Gewährung des brachium saeculare insbesondere.**a) zur Erzwingung der Sendpflicht.*

Pippins Kapitular 754/55 c. 3.

MG. Capitul. I 31.

De presbyteris et clericis sic ordinamus, ut archidiaconus episcopi eos ad synodum commoneat una cum comite. Et si quis contempserit, comes eum distringere faciat, ut ipse presbyter aut defensor suus LX solidos conponat, et ad synodum eat.

Regino, De synodalibus causis II 297 ed. Wasserschleben 330,

Ex Concilio Triburiensi (895) cap. 8.

Conquesti sunt quidam de quibusdam malefactoribus, quorum tam nimia improbitas est, ut admonitionem sacerdotum non eurent, bannum episcoporum contemnant, ad synodum ter quaterque vocati venire despiciant, ad extremum excommunicati pro nihilo ducant. De talibus et in Capitulari statutum est, regiae cognitioni suaderi debere, et devoto regi Arnulpho cum sancta synodo placuit, ut quicumque post excommunicationem debitam sic parvi aestimant Deum et Christianitatem, seculari potestate persequendos, et, si interficiantur, iaceant absque compositione.

*b) Zur Eintreibung der Zehnten.*

Capitula de rebus ecclesiasticis 787—813 c. 3.

MG. Capitul. I 186.

c. 3. Ut decime pleniter dentur: et a quibus retente sunt, de prima contentu sit culpavilis qui eas retenuit solidos VI, ipsa decima sub iuramento. c. 4. De secundo conponat bannum nostrum, et eidem sacerdoti qui preest solidos VI sit culpavilis et tandem extra ecclesia excommunicetur donec sacerdoti satisfaciat; de tertio autem, ut sacrilegus habeatur, sit in exilium missus et res eius in fiscum nostrum redigantur.

*c) Zur Trennung inzestuöser Verbindungen.*

Capitulare Liptinense 743 c. 3.

MG. Capitul. I 28.

Similiter praecipimus, ut iuxta decreta canonum adulteria et incesta matrimonia, quae non sint legitima, prohibeantur et emendentur episcoporum iudicio; et ut mancipia christiana paganis non tradantur.

Capitulare Missorum generale 802 c. 33.

MG. Capitul. I 97.

Incestuosum scelus omnino prohibemus. Si quis nefanda autem fornicatione contaminatus fuerit, nullatenus sine distinctione gravi relaxetur, sed taliter ex hoc corripiantur, ut caeteri metum habeant talia perpetrandi, ut auferatur penitus et inmunditia populo christiano, et ut reus ex hoc per poenitentia ammittat pleniter, sicut ei ab episcopo suo disponatur; et eadem femina in manus parentum sit constituta usque ad iudicium nostrum. Si autem iudicium episcopi ad suam emendationem consentire noluerit, tunc ad nostra presentia perducantur.

Konstitution Heinrichs III. 1052 de coniugiis illicitis.

MG. Const. I 101.

Heinricus divina pietate secundus Romanorum imperator augustus omnibus subiectis imperio. Quoniam nobis divinae pietatis providentia imperialis officii curam commissam credimus, nos quoque erga ea quae ad christianas religiones et ad cultum iustitiae pertinent iugiter sollicitari debemus. Quapropter cum Turegi universali conventu nostrorum fidelium Italicorum sederemus, orta quaestione de illicitis coniugiis, consilio nostrorum principum, archiepiscoporum, episcoporum, marchionum, comitum ac iudicio iudicium seu consensu omnium iudicantium huiusmodi sententiam diffinivimus. Omnia scilicet, quae sancti canones vel sacrae leges nostrorum praecessorum inde statuerunt, summa auctoritate confirmavimus et inde etiam nostro imperiali iure addimus, ut quicumque seu in legitima aetate sive infra legitimam aetatem uxorem duxerit vel despontaverit, si morte praeventus fuerit, nulli propinquorum suorum liceat viduam vel despontatam illius uxorem ducere. Quod si quis hoc fecerit, tam mulier quam vir ex hac lege exheredati sint omniumque bonorum eorum

medietas ad fiscum deveniat, altera vero medietas propinquis parentibus legitimis hereditario iure deveniat. Et quicumque ex huiusmodi coniugio natus fuerit, ipse quoque, sicut et parentes sui, ex hac lege exheredatus sit.

*d) Zur Erzwingung der Bußleistung.*

Capitula Pistensia 869 c. 10.

MG. Capitul. II 336.

Si autem idem peccator de manifesta et comprobata vel a se sponte confessa causa ad poenitentiam venire voluerit, sed ipsam poenitentiam propter faidam secundum canones suscipere et quiete agere non potuerit, episcopus per se vel per ministros aut per litteras suas regiam nostram vel rei publicae nostrae potestatem adeat, ut ipsa faida secundum constitutionem avi et patris nostri legaliter pacifetur aut iuxta leges, secundum quas in aliis regionibus quilibet vivunt, sedetur. Et tunc peccator medicinam poenitentiae secundum sacros canones cum pia et salubri discretione secundum regulas sacras suscipiat et peragat et reconciliationem atque communionem percipiat, sicut in eisdem sacris regulis discretissime et misericorditer continetur.

*e) Gegen den Exkommunizierten.*

Vgl. Nr. 25.

*f) Gegen Ungläubige und Häretiker.*

Vgl. Nr. 13 Capitulare Saxonum c. 8, 19, 21.

Herimanni Augiensis Chronicon a. 1052.

MG. SS. V 130.

Imperator (Henricus III.) natalem domini Goslare egit, ibique quosdam hereticos, inter alia pravi erroris dogmata Manichea secta omnis esum animalis execrantes, consensu cunctorum, ne heretica scabies latius serpens plures inficeret, in patibulo suspendi iussit.

Nr. 25.

*Weltliche Wirkungen des Kirchenbannes.*

a) Dekret Childeberts vom 29. Febr. 596 c. 2.

MG. Capitul. I 15.

Decrevimus ut nullus incestuosum sibi societ coniugio, hoc est nec fratri sui uxorem, nec uxoris suae sororem,

nec uxorem patruo aut parentis consanguinei. Uxorem patris si quis acceperit, mortis periculum incurrat. De praeteritis vero coniunctionibus, quae incestae esse videntur, per praedicationem episcoporum iussimus emendare. Qui vero episcopo suo noluerit audire et excommunicatus fuerit, perenni condemnatione apud Deum sustineat et de palatio nostro sit omnino extraneus, et omnes res suas parentibus legitimis amittat qui noluit sacerdotis sui medicamenta sustinere.

*b) Synode von Verneuil 11. Juli 755 c. 9.*

MG. Capitul. I 35.

De modis excommunicationis, tam de clericis quam de laicis. Si quis presbyter ab episcopo suo degradatus fuerit, et ipse per contemptum postea aliquid de suo officio sine comeatu facere praesumpserit, et postea ab episcopo correptus et excommunicatus fuerit, qui cum ipso communicaverit scienter, sciat se esse excommunicatum. Similiter quicumque clericus vel laicus aut femina incestum commiserit et ab episcopo suo correptus se emendare noluerit et ab ipso excommunicatus fuerit, qui cum ipso communicat similiter excommunicetur. Et ut sciatis, qualis sit modus istius excommunicationis: in ecclesia non debet intrare, nec cum nullo christiano cybum vel potum sumere; nec eius munera accipere debet, vel osculum porregerere, nec in oratione iungere, nec salutare, antequam ab episcopo suo sit reconciliatus. Quod si aliquis se reclamaverit, quod iniuste sit excommunicatus, licentiam habeat ad metropolitanum episcopum venire, et ibidem secundum canonicam institutionem deuidetur; et interim suam excommunicationem custodiat. Quod si aliquis ista omnia contempserit, et episcopus hoc minime emendare potuerit, regis iudicio exilio condamnetur.

*c) Ansegis I 1.*

MG. Capitul. I 397.

De his qui ab episcopo proprio excommunicantur. Sunt enim aliqui, qui culpis exigentibus ab episcopo proprio excommunicantur et ab aliis ecclesiasticis vel laicis praesumptiose in communionem accipiuntur: quod omnino sanctum Nicaenum concilium simul et Calcedonense neconon et Antiochenum atque Sardicense fieri prohibit.

d) Synode von Pavia 850 c. 12.

MG. Capitul. II 120.

Hoc autem omnibus christianis intimandum est, quia hi, qui sacri altaris communione privati et pro suis sceleribus reverendis aditibus exclusi publicae poenitentiae subiugati sunt, nullo militiae secularis uti cingulo nullamque reipublicae debent administrare dignitatem; quia nec popularibus conventibus eos misceri oportet nec vacare salutationibus nec quorumlibet causas iudicare, cum sint ipsi divino addicti iuditio; domesticas autem necessitates curare non prohibentur, nisi forte propter scelerum, ut sepe fit, enormitatem conscientiae stimulis exagitati et mente perculsi ipsius privatae rei amministrationem implere nequiverint. Qui vero ad admonitionem episcopi seu sacerdotum pro perpetrato palam scelere poenitentiae remedium suscipere noluerint, magis abiciendi sunt, anathematizandi scilicet et tamquam putrida ac desperata membra ab universalis ecclesiae corpore dissecandi; cuiusmodi iam inter christianos nulla legum, nulla morum, nulla collegii participatio est, quibus neque in ipso exitu communicatur, et quorum neque post mortem, saltim inter defunctos fideles, commemoratio fit.

e) Konzil von Tribur 895 c. 3.

MG. Capitul. II 214.

Responsio regis, et de excommunicatis sententia universalis. Nos igitur, quibus cura regni et sollicitudo ecclesiarum Christi commissa est, aliter regnum et imperium iure ecclesiastico regere et gubernare non possumus, nisi hos, qui „ecclesiam Christi non habentem“, ut apostolus ait, „maculam neque rugam“ conturbant, zelo fidei persequamur. De quo rex David testatur: „Nonne, qui oderunt te, Deus, oderam illos, et super inimicos tuos tabescam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi“; et cum evangelium legeretur, audivimus: „Si te non audierit, sit tibi, sicut ethnicus et publicanus“, et alibi: „Qui percutit malos in eo, quod mali sunt, minister Domini est.“ Idecirco non potentiam ostendentes, sed iustitiam exhibentes praecepimus et auctoritate nostra iniungimus omnibus regni nostri comitibus, postquam ab episcopis anathemate excommunicationis percelluntur et tamen ad poenitendum non inclinantur, ut ab ipsis comprehendantur et ante nos perforantur, ut, qui divina iudicia non verentur, humana

sententia feriantur, unde per quendam sapientem dictum est: „Rex, qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo“. Si enim tam rebelles extiterint, ut comprehendentibus repugnare studuerint et in tali temeritate interfecti fuerint, iudicio episcoporum interfectoribus nulla imponatur poenitentia, et pracepto nostro weregeldi nulla ab eis extorqueatur compositio constringanturque proximi et eorum cognati cum iuramento, ne in illis eos vindicent, sed pacem ad eos et concordiam servent.

f) Konvent und Synode zu Erfurt 932 c. 9.

MG. Const. I 4.

Decrevit sancta synodus cum consilio serenissimi principis, si deinceps aliquis episcopus sui ministerii oblitus, sciens cum excommunicato communicaverit sive in salutatione, sive in oratione, sive in iniusta confortatione, sive in cibo, sive in potu, excommunicatus habeatur tam a principe quam a caeteris omnibus, quousque in proxima synodo audiatur et Deo et a ecclesiae suae satisfacere cogatur.

#### IV. Mitwirkung der Kirche an den Staatsaufgaben.

Nr. 26.

##### Allgemeine Mitwirkungspflicht.

Capitula Pistensia 869 c. 2.

MG. Capitul. II 333.

Ut ab archiepiscopis et episcopis et ab aliis fidelibus nostris honor regius et potestas ac debita obedientia atque adiutorium ad regnum nostrum continendum et defensandum nobis in omnibus et ab omnibus secundum uniuscuiusque ordinem et dignitatem atque possibilitatem, sicut tempore antecessorum nostrorum iuste et rationabiliter consueverat, exhibeatur.

Vgl. Nr. 9a-c.

Nr. 27.

##### Bischöfe als weltliche Beamte.

a) Annales Laureshamenses ad a. 802.

MG. SS. I 38.

Eo anno demoravit dominus Caesar Carolus apud Aquis palatum quietus cum Francis sine hoste; sed recor-datus misericordiae suae de pauperibus, qui in regno suo erant et iusticias suas pleniter abere non poterant, noluit de infra palatio pauperiores vassos suos transmittere ad iusticias faciendum propter munera, sed elegit in regno suo archiepiscopos et reliquos episcopos et abbates cum ducibus et comitibus, qui iam opus non abebant super innocentias munera accipere, et ipsos misit per universum regnum suum, ut ecclesiis, viduis et orfanis et pauperibus et cuncto populo iustitiam facerent.

Vgl. Synode von 786 c. 10 (MG. Ep. IV 23). Vidimus etiam ibi episcopos in conciliis suis secularia iudicare prohibuimusque eos voce apostolica: „Nemo militans Deo implicit se negotiis saecularibus, ut ei militet, cui se probavit“.

b) Bischöfe und Äbte als königliche missi.

Vgl. Nr. 11 unter 2d.

Leo III. an Bischof Rikulf von Mainz 810.

MG. Ep. V 67.

Cum ad limina beatorum principum apostolorum Bern-harius venerabilis episcopus una cum Adalhardo relegioso abate, missi filii nostri domini Caroli serenissimi imperatoris, coniunxissent et omnia prospera ac salubria de pre-dicto filio nostro seu de eius sublimissima prole vel omnibus fidelibus suis nobis nuntiassent, inmensas omnipotenti Deo gratiarum actiones retulimus.

Nr. 28.

##### Kirchenstrafrechtlicher Schutz des Königs.

a) Synode von 786 c. 12.

MG. Ep. IV 24.

In necem regis nemo communicare audeat, quia chris-tus Domini est: et si quis tali sceleri adhaeserit, si epi-scopus est, aut ullus ex sacerdotali gradu, ex ipso detru-datur, et a sancta hereditate deiciatur, sicut Iudas ab apostolico gradu electus est: et omnis quisquis tali sacri-legio assenserit, aeterno anathematis vinculo interibit.

b) Regino, de synodalibus causis II 300.

Ed. Wasserschleben 331.

Si quis contra regiam dignitatem dolose ac callide et perniciose agere comprobatus fuerit, nisi dignissime satis-fecerit, anathematizetur.

c) Synode von Hohenaltheim 916 c. 20.

MG. Const. I 623.

Contestamus coram Deo et omni ordine angelorum, choro prophetarum atque apostolorum et omnium martyrum, coram omni catholica ecclesia et christianorum coetu, ut nemo intendat in interitum regis, nemo vitam principis nece attractet, nemo regni eum gubernaculis pri-vet, nemo tyrannica praesumptione apicem regni sibi usur-pet, nemo quolibet machinamento in eius adversitatem sibi

coniuratorum manus associet. Quod si in quippiam horum quisquam nostrum temerario ausu praesumptor extiterit, anathemate divino perculsus absque ullo remedii loco habeatur condemnatus aeterno iudicio.

c. 23. Si quis laicus iuramentum violando profanat, quod regi et domino suo iurat, et postmodum perverse in eius regnum et dolose in mortem aliquo machinamento insidiatur, quia sacrilegium peragit manum suam in christum Domini mittens, anathema sit, nisi per dignam paenitentiae satisfactionem emendaverit, . . . id est seculum relinquat, arma deponat, in monasterium eat et paeniteat omnibus diebus vitae suaे, verumtamen communionem in exitu vitae cum eucharistia accipiat. Episcopus vero, presbiter vel diaconus si hoc crimen perpetrat, degradetur.

#### Nr. 29.

##### *Gebet für Kaiser und Reich.*

Konzil von Chalons 813 c. 66.

MG. Conc. II 285.

Interea omnis iste conventus gratissima deliberatione decrevit, ut ab omnibus indesinenter orationes fiant pro vita et incolomitate, pro salute animae et corporis domni imperatoris proliisque eius, pro statu regni, pro remissione peccatorum et caelestis regni collatione, ita dumtaxat ut semper magis ac magis per incrementa temporum talis crescat observatio. Dixit etiam se scripturarum sanctorum monita et canonum instituta diligenti indagatione perquirere et indefessa atque infatigabili observatione auxiliante Domino velle perficere.

Vgl. Konzil von Rheims 813 c. 40, Arles 813 c. 2. MG. Cone. II 250, 257.

#### Nr. 30.

##### *Acht und Bann.*

Wipo, Vita Chuonradi c. 25.

MG. SS. XI 268.

Anno Domini 1030 imperator Chuonradus apud Ingelheim pascha celebravit. Ibi Ernustus supra memoratus dux Alamanniae, a custodia solutus ducatum recepit, eo tenore

ut Wezelonem militem suum, qui multis factionibus regnum turbaverat, quasi hostem rei publicae cum omnibus suis persequeretur, idque se facturum cum sacramento confirmaret. Quod cum dux facere nollet, hostis publicus imperatoris diiudicatus est, et penitus ducato amisso, cum paucis inde recessit. Imperator vero ducatum Alamanniae Herimanno iuniori, fratri eiusdem Ernusti, dedit, eumque Warmanno Constantiensi episcopo commendavit. Imperator vero communi consilio omnium principum regni eundem Ernustum et cunctos iustitiae et paci reluctantibus ab episcopis excommunicari fecit, eorumque res publicari iussit.

Vgl. auch Konzil von Tribur 895, oben Nr. 25 e.

## V. Salbung und Krönung der deutschen Könige und Kaiser.

Nr. 31.

Kaiserkrönungsordnung des 9. Jahrhunderts.

Aus einem Pontifikale des 13./14. Jahrhunderts.

Cod. Vatic. lat. 7114 fol. 94.

Benedictio ad ordinandum imperatorem secundum occidentales.<sup>1</sup>

Exaudi Domine preces nostras, et famulum tuum illum ad regendum illud imperium constitue, ut per te regere incipiat et per te regnum fideliter constituat. Per Christum.

*Consecratio.* Prospice, omnipotens Deus, serenis obtutibus hunc gloriosum famulum tuum illum, et sicut benedixisti Abraham, Isaac et Iacob, sic illi largiaris benedictiones spiritualis gratiae, eumque omni plenitudine tuae potentiae irrigare atque perfundere digneris, ut tribuas ei de rore celi et de pinguedine terrae abundantiam frumenti, et vini, et olei, et omnium frugum abundantiam, ex largitate divini muneris longa per tempora, ut illo regnante sit sanitas corporis in patria, pax inviolata sit in regno, et dignitas gloria regalis palatii maximo splendore regiae potestatis oculis omnium luce clarissima coruscare atque splendescere qua splendidissimi fulgoris maximo perfusa lumine videatur. Tribue ei, omnipotens deus, ut sit fortissimus protector patriae, et consolator ecclesiarum ac cenobiorum sanctorum, maxima pietate regalis munificentiae, atque ut sit fortissimus regum, triumphator hostium ad opprimendos rebelles et paganas nationes, sitque suis inimicis satis terribilis, proxima fortitudine regalis potentiae. Optimatibus quoque atque praecelsis proceribus ac

fidelibus sui regni sit munificus, et amabilis, et pius, et ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges de lumbis eius per successiones temporum futurorum egrediantur regnum regere illud, et post gloria tempora atque felicia praesentis vitae gaudia in perpetua beatitudine habitare mereatur. Per.

*Et mittat pontifex coronam auream super caput eius his verbis:* Accipe coronam a domino deo tibi praedestinatam, habeas, teneas atque possideas et filiis tuis post te in futurum, ad honorem Deo auxiliante derelinquas.

*Oratio.* Deus pater aeternae gloriae sit adiutor tuus et omnipotens benedicat tibi, preces tuas in cunctis exaudiat et vitam tuam longitudine dierum adimpleat. Thronum regni tui iugiter firmet et gentem et populum in aeternum conservet. Inimicos tuos confusione induat et super te Christi sanctificatio floreat, ut qui tibi tribuit in terris imperium, ipse in celis conferat premium. Per.

*Sceptri traditio.* Accipe virgam virtutis atque equitatis, per quam intelligas mulcerepios, et terrere reprobos, errantibus viam pande, lapsis manum porrige, disperdas superbos et releves humiles, et aperiat tibi ostium Iesus Christus dominus noster, qui de seipso ait: Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur; et ipse qui est clavis David et sceptrum domus Israel, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit. Sitque tibi auctor, qui educit vincum de domo carceris sedentemque in tenebris et umbra mortis et in omnibus sequi merearis eum, de quo propheta cecinit: Sedes tua Deus in saeculum saeculi, virga equitatis virga regni tui; et imitando ipsum diligas iustitiam et odio habeas iniquitatem, quare ideo unxit te dominus deus tuus ad exemplum illius, quem ante saecula unxerat oleo exultationis prae participibus suis Iesum Christum dominum nostrum qui . . .

*Anuli traditio.* Accipe regiae dignitatis anulum, et per hunc in te catholicae fidei cognosce signaculum et ut hodie ordinaberis caput et princeps regni ac populi, ita perseverabilis auctor ac stabilitor christianitatis et christiana fidei et felix in opere, locuples in fide, cum rege regum glorieris per aevum. Cui est honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

*Gladii traditio.* Accipe gladium per manus apostolorum licet indignas, vice tamen et auctoritate sanctorum apostolorum consecratas, tibi regaliter impositum,

<sup>1</sup> Vgl. die Krönungsordnung des Cod. Gmundensis, MG. LL II 78 und des Chronicon Altinate, Archivio storico Italiano App. V 125.

nostraeque benedictionis officio in defensionem sanctae ecclesiae divinitus ordinatum, et esto memor de quo psalmista prophetavit dicens: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, ut in hoc per eundem vim equitatis exerceas [molem] iniquitatis destruas, et sanctam Dei ecclesiam eiusque fideles propugnes ac protegas; nec minus sub fide falsos quam christiani nominis hostes execres ac destruas; viduas et pupilos clementer adiuves ac defendas; desolata restauras; restaurata conserves; ulciscaris iniusta; confirmes bene disposita; quatinus haec in agendo virtutum triumpho, gloriosus iustitiaque cultor egregius, cum mundi Salvatorem, cuius typum geris in nomine, sine fine merearis regnare. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.<sup>1)</sup>

*Expleta oratione a pontifice, antequam lector ascendat in ambone, pronuntiant duo diacones sive cantores, respondente illis scola scriniorum hoc modo.*

Exaudi Christe. *Et respondet schola:* Domino nostro illi a deo decreto summo pontifici, et universalis ecclesiae vitam. Exaudi Christe. *Et schola:* Exaudi Christe. Salvator mundi. *R.* Tu illum adiuva. Salvator mundi, tu illum adiuva. Exaudi Christe. *R.* Domino nostro illi augusto, a deo coronato, magno et pacifico imperatori vitam. *Per tres vices:* Sancta Maria. *R.* Tu illum adiuva. Sancta Maria, tu illum adiuva. Exaudi Christe. *R.* Eiusque praecellentissimis filiis regibus vitam. *Per tres vices.* Sancte Petre. *R.* Tu illos adiuva. Exaudi Christe. Exercitui Francorum, Romanorum et Teutonicorum vitam et victoriam. *Ter.* Sancte Theodore. *R.* Tu illos adiuva. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. *Respondet schola similiter.* Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. *Respondet schola similiter.* Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. *Respondet schola similiter.* Rex regum, Christus vincit, Christus regnat. *Respondet similiter, sed tantum semel.* Rex regum, Christus vincit, Christus regnat. Spes nostra Christus vincit. Gloria nostra Christus vincit. Misericordia nostra Christus vincit. Auxilium nostrum Christus vincit. Fortitudo nostra Christus vincit. Liberatio et redemptio nostra Christus vincit. Victoria nostra

<sup>1)</sup> Den in Klammern beigefügten Text habe ich ergänzt aus dem Chronicon Altinate, Archivio storico Italiano App. V p. 125 und nach späteren Kaiserkrönungsordnungen verbessert.

Christus vincit. Arma nostra invictissima Christus vincit. Murus noster inexpugnabilis Christus vincit. Defensio nostra et exultatio Christus vincit. Lux via et vita nostra Christus vincit. Ipsi soli imperium, gloria et potestas, per immortalia saecula saeculorum. Amen. Ipsi soli virtus, fortitudo et victoria per omnia saecula saeculorum. Amen. Ipsi soli honor, laus et iubilatio, per infinita saecula saeculorum. Amen.

## Nr. 32.

*Karls des Großen Kaiserkrönung am 25. Dezember 800.*

- a) Einhard, Vita Karoli Magni c. 28.  
MG. SS. II 458.

Imperatoris et Augusti nomen accepit, quod primo in tantum aversatus est, ut adfirmaret, se eo die, quamvis praecipua festivitas esset, ecclesiam non intraturum si pontificis consilium praescire potuisset. Invidiam tamen suscepti nominis, Romanis imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longe praestantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, et in epistolis fratres eos appellando.

- b) Annales Fuldaenses ad a. 801.  
Ed. Fr. Kurze 15.

In die natalis Domini ante confessionem beati Petri apostoli, cum rex ab oratione surgeret, Leo papa coronam capiti eius imposuit, et a cuncto Romanorum populo ad clamatum est: „Carolo augusto a Deo coronato magno et pacifico imperatori Romanorum vita et Victoria!“ Et post laudes more antiquorum principum adoratus est atque ablato patricii nomine imperator et augustus est appellatus.

- c) Vita Leonis c. 28.  
Liber Pontificalis ed. Duchesne II 7.

Post haec adveniente die natalis domini nostri Iesu Christi in iam dicta basilica beati Petri apostoli omnes iterum congregati sunt. Et tunc venerabilis et almificus praesul manibus suis propriis pretiosissima corona coronauit eum. Tunc universi fideles Romani videntes tantam

defensionem et dilectionem, quam erga sanctam Romanam ecclesiam et eius vicarium habuit, unanimiter altisona voce, dei nutu atque beati Petri clavigeri regni coelorum exclaraverunt: „Karolo, piissimo augusto a deo coronato, magno et pacifico imperatori, vita et victoria!“ Ante sacram confessionem beati Petri apostoli, plures sanctos invocantes, ter dictum est; et ab omnibus constitutum est imperator Romanorum.

(c. 24. Illico sanctissimus autistes et pontifex unxit oleo sancto Karolo, excellentissimo filio eius, rege, in ipso die natalis domini nostri Iesu Christi.)

Nr. 33.

*Erste (weltliche) Kaiserkrönung Ludwigs d. Fr. 813.*

a) Einhard, Vita Karoli M. c. 30.

MG. SS. II 459. Waitz, SS. rerum Germanicarum p. 25.

Extremo vitae tempore, cum iam et morbo et senectute premeretur, vocatum ad se Hludoicum filium Aquitaniae regem, qui solus filiorum Hildigardae supererat, congregatis sollempniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni et imperialis nominis heredem constituit, impositoque capiti eius diadema, imperatorem et augustum iussit appellari. Suscepit est hoc eius consilium ab omnibus qui aderant magno cum favore; nam divinitus ei propter regni utilitatem videbatur inspiratum.

b) Annales Laurissenses minores ad a. 813.

MG. SS. I 121.

(Codex Fuldensis) Placitum magnum in mense Augusto ad Aquis factum est, et Karlus imperator constituit Hlodoicum filium suum simul imperare cum eo, inponens diaclema capiti eius. (Codex Remensis) Carls magnus imperator nomen imperatoris imposuit filio suo Hludowico regi Aquitaniorum, coronamque imperiale et sceptrum, sicut mos est imperialibus dare.

c) Annales Regni Francorum ad a. 813 ed. Kurze, SS. rerum Germanicarum p. 138.

Ac deinde habitu generali conventu, evocatum ad se apud Aquasgrani filium suum Hludowicum Aquitaniae regem, coronam illi imposuit et imperialis nominis sibi consortem fecit.

d) Thegani vita Hludowici Imperatoris c. 6.  
MG. SS. II 591.

Supradictus vero imperator cum iam intellexit ad propinquare sibi diem obitus sui — senuerat enim valde — vocavit filium suum Hludowicum ad se cum omni exercitu, episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, locoppositis: habuit generale colloquium cum eis Aquisgrani palatio pacifice et honeste, ammonens ut fidem erga filium suum ostenderent, interrogans omnes a maximo usque ad minimum, si eis placuisse, ut nomen suum, id est imperatoris, filio suo Hludowico tradidisset. Illi omnes exultando responderunt, Dei ammonitionem esse illius regi (rei). Quod factum, in proxima die dominica ornavit se cultu regio, et coronam capiti suo imposuit; incedebat clare decoratus et ornatus, sicut ei decuerat. Perrexit ad ecclesiam, quam ipse a fundamento construxerat, pervenit ante altare quod erat in eminentiori loco constructum caeteris altaribus, et consecratum in honore domini nostri Iesu Christi; super quod coronam auream, aliam quam ille gestabat in capite suo, iussit imponi. Postquam diu oraverunt ipse et filius eius, locutus est ad filium suum coram omni multitudine pontificum et optimatum suorum, ammonens eum in primis omnipotentem Deum diligere ac timere, eius praecpta servare in omnibus, aecclesias Dei gubernare et defendere a pravis hominibus. Sororibus suis et fratribus qui erant natu iuniores, et nepotibus et omnibus propinquis suis inefficiem misericordiam semper ostendere praeceperit. Deinde sacerdotes honorare ut patres, populum diligere ut filios, superbos et nequissimos homines in viam salutis coactos dirigere, coenobiorum consolator fuisset et pauperum pater. Fideles ministros et Deum timentes constitueret, qui munera iniusta odio haberent. Nullum ab honore suo sine causa discretionis eieccisset, et semetipsum omni tempore coram Deo et omni populo inreprehensibilem demonstrare. Postquam haec verba et alia multa coram multitudine filio suo ostenderet, interrogavit eum, si obediens voluisset esse praecceptis suis. At ille respondit, libenter obedire, et cum Dei adiutorio omnia praeccepta, quae mandaverat ei pater, custodire. Tunc iussit eum pater, ut propriis manibus elevasset coronam, quae erat super altare, et capiti suo inponeret ob recordationem omnium praceptorum que mandaverat ei pater. At ille iussionem patris implevit. Quod factum, audientes missarum sollemnia ibant ad palatium.

## Nr. 34.

## Zweite (kirchliche) Kaiserkrönung Ludwigs d. Fr. 816.

a) Thegani vita Hludowici Imperatoris c. 17.

MG. SS. II 594.

(Stephanus papa) die dominica in ecclesia ante mis-  
sarum sollempnia coram clero et omni populo consecravit  
eum, et unxit eum ad imperatorem, et coronam auream  
mirae pulchritudinis cum praetiosissimis gemmis ornatam,  
quam secum adportaverat, posuit super caput eius.

b) Ermoldus Nigellus, in honorem Ludovici I. II. v. 423 ss.

MG. SS. II 486.

Roma tibi, Caesar, transmittit munera Petri,  
Digna satis digno, conveniensque decus.  
Tum iubet adferri gemmis auroque coronam,  
Quae Constantini caesaris ante fuit.  
Accipit ipse manu, verbis benedicit, et orat,  
Stemmata clara tenens, lumina pansa polo.

v. 447. Unguine suffuso, hymnisque ex ordine dictis,  
Caesareo capiti mox decus imposuit:  
Hoc tibi Petrus ovans cessit mitissime donum,  
Tu quia iusticiam sedis habere sibi.

## Nr. 35.

## Bedeutung und Wirkung der Salbung.

a) Aus der via regia des Abtes Smaragdus (Zeit Ludwig des Frommen).

Migne PL. 102., 933.

Deus omnipotens, te, o clarissime rex, quando voluit  
et ubi voluit, de regali nobilique genere nobiliter pro-  
creavit . . . caput tuum oleo sacri chrismatis linivit et  
dignanter in filium adoptavit. Constituit te regem populi  
terrae et propriae filii sui in coelo fieri iussit heredem.  
His etenim sacris ditatus muneribus rite portas diade-  
mata regis.

b) Vita Sergii c. 13.

Liber Pontificalis ed. Duchesne II 89.

Tunc almificus pontifex manibus suis ipsum Hludo-  
vicum, imperatoris filium, oleo sancto perunguens, regali

ac pretiosissima coronavit corona regemque Longobar-  
dorum perfectit.<sup>1</sup> Cui regalem tribuens gladium illique  
subcingere iussit.

c) Karl der Kahle auf der Versammlung von Savonières 859 c. 3.

MG. Capitul. II 451.

(Wenilo) me secundum traditionem ecclesiasticam regem  
consecravit et in regni regimine chrismate sacro perunxit  
et diadema atque regni sceptro in regni solio sublimavit.  
A qua consecratione vel regni sublimitate subplantari vel  
proici a nullo debueram, saltem sine auditia et iudicio  
episcoporum, quorum ministerio in regem sum conse-  
cratus . . . quorum paternis correptionibus et castigatoriis  
iudiciis me subdere fui paratus et in praesenti sum sub-  
ditus.

d) Papst Nikolaus I. an die Bischöfe im Reiche Karls  
des Kahlen 865.

Migne PL. 119., 914.

Liceat ei (sc. Ludovico II. imperatori) regna sibi per  
haereditatum ius derivata, et apostolicae sedis auctoritate  
summi pontificis manu capitii superposito diade-  
mata augustissime decorata, cum suis fidelibus pie ac  
iustissime gubernare.

e) Kaiser Ludwig II. an Kaiser Basilius 871.  
Chronicon Salernitanum c. 107.

MG. SS. III 522.

. . . Illud autem mirari merito possumus, quod subli-  
mitas tua ad novam vel recentiore appellatem aspirare  
nos autumat, cum quantum ad lineam generis pertinet, non  
sit novum vel recens, quod iam ab avo nostro, non iam  
usurpatione, ut perhibes, set Dei nutu et ecclesiae iudicio  
summique praesulis per impositionem et unctionem manus  
obtinuit, sicut in codicibus tuis invenire facile poteris . . .  
Praeterea mirari se dilecta fraternitas tua significat, quod  
non Francorum set Romanorum imperatores nos appelle-  
mus; set scire te convenit, quia nisi Romanorum im-  
peratores essemus, utique nec Francorum. A Romanis  
enim hoc nomen et dignitatem assumpsimus, apud quos

<sup>1</sup> Krönung Ludwigs II., des Sohnes Lothars, zum König von Italien  
i. J. 844 durch Papst Sergius II.

Eichmann, Quellsammlung zu „Kirche u. Staat“ 1.

profecto primum tantae culmen sublimitatis et appellationis effulsit, quorumque gentem et urbem divinitus gubernandam et matrem omnium ecclesiarum Dei defendendam atque sublimandam suscepimus, a qua et regnandi prius et postmodum imperandi auctoritatem prosapiae nostrae seminarium sumpsit. Nam Francorum principes primo reges, deinde vero imperatores dicti sunt, hii dumtaxat, qui a Romano pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt. In qua etiam Karolus Magnus, abavus noster, unctione huiusmodi per sumnum pontificem delibutus, primus ex gente ac genealogia nostra, pietate in eo habundante, et imperator dictus et christus Domini factus est, praesertim cum saepe tales ad imperium sunt asciti, qui nulla divina operatione per pontificum ministerium, proposita solum a senatu et populo, nichil horum curantibus, imperatoria dignitate potiti sunt; nonnulli vero nec sic, set tantum a militibus sunt clamati et in imperio stabiliti sunt, ita ut etiam horum quidam a feminis, quidam autem hoc atque alio modo ad imperii Romani sceptra promoti sunt.

f) Aus den Akten der Synode von Ponthion 876.

MG. Capitul. II 348.

1. Electio Karoli imperatoris ab Italici regni episcopis et ceteris confirmata.

Gloriosissimo et a Deo coronato, magno et pacifico imperatori, domino nostro Karolo perpetuo augusto nos omnes episcopi, abbates, comites ac reliqui, qui nobiscum convenerunt Italici regni optimates, quorum nomina generaliter subter habentur inserta, perpetuam optamus prosperitatem et pacem.

Iam quia divina pietas vos beatorum principum apostolorum Petri et Pauli interventione per vicarium ipsorum, dominum videlicet Iohannem summum pontificem et universalem papam spiritalemque patrem vestrum, ad profectum sanctae Dei ecclesiae nostrorumque omnium incitavit et ad imperiale culmen sancti Spiritus iudicio provexit, nos unanimiter vos protectorem, dominum ac defensorem nostrum eligimus, cui et gaudenter toto cordis affectu subdi gaudemus.

2. Confirmatio Cisalpinorum apud Pontigonem.

Sicut dominus Iohannes apostolicus et universalis papa primo Romae elegit atque sacra unctione constituit omnesque Italici regni episcopi, abbates, comites et reliqui omnes,

qui cum illis convenerunt, dominum nostrum glriosum imperatorem Karolum augustum unanimi devotione elegerunt sibi protectorem ac defensorem esse, ita et nos, qui de Francia, Burgundia, Aquitania, Septimania, Neustria ac Provincia pridie Kalendas Iulii in loco, qui dicitur Pontigonis, anno XXXVII in Francia ac imperii primo, iussu eiusdem domini et glriosi augusti convenimus, pari consensu ac concordi devotione eligimus et confirmamus.

Nr. 36.

*Ottos I. Königskrönung in Aachen.*

Widukind, Res gestae Saxonicae II 1.

MG. SS. III 437.

Cumque illo (sc. Aquisgranum) ventum esset, duces ac praefectorum principes cum caetera principum militum manu congregati in xisto (= porticu), basilicae magni Karoli cohaerenti, collocarunt novum ducem in solio ibidem constructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, operamque suam contra omnes inimicos spondentes, more suo fecerunt eum regem. Dum ea geruntur a ducibus ac caetero magistratu, pontifex maximus cum universalis sacerdotali ordine et omni plebe infra in basilica praestolabatur processionem novi regis. Quo procedente, pontifex obvius laeva sua dextram tangit regis, suaque dextra lituum gestans, linea indutus, stola planetaque infulatus, progressusque in medium usque fani subsistit; et reversus ad populum, qui circumstebat — nam erant deambulatoria infra supraque in illa basilica in rotundum facta — quo ab omni populo cerni posset: „En, inquit, adduco vobis a Deo electum, et a Domino rerum Heinrico olim designatum, nunc vero a cunctis principibus regem factum Oddonem; si vobis ista electio placeat, dextris in coelum levatis significate.“ Ad haec omnis populus dextras in excelsum levans, cum clamore valido inprecati sunt prospera novo duci. Proinde processit pontifex cum rege, tunica stricta more Francorum induto, pone altare, super quod insignia regalia posita erant, gladius cum balteo, clamis cum armillis, baculus cum sceptro ac diadema. Eo quippe tempore erat summus pontifex nomine Hildiberhtus, Franco genere, monachus professione, nutritus vel doctus in Vuldo monasterio, et ad id honoris merito progrediens, ut pater eiusdem

loci constitueretur, deinde summi pontificatus Mogontiacae sedis fastigium promeruisset . . . Et cum quaestio esset pontificum in consecrando rege, Treverensis videlicet et Coloniae Agrippinae — illius, quia antiquior sedes esset et tamquam a beato Petro apostolo fundata; istius vero, quia ad eius diocesim pertinaret locus; et ob id sibi contamen uterque eorum Hildiberhti cunctis notae almitati. Ipse autem accedens ad altare, et sumpto inde gladio cum balteo, conversus ad regem ait: „Accipe, inquit, hunc gladium, quo eicias omnes Christi adversarios, barbaros et malos christianos, auctoritate divina tibi tradita, omni potestate totius imperii Francorum, ad firmissimam pacem omnium christianorum.“ Deinde sumptis armillis ac clamide, induit eum: „His cornibus, inquit, humitenus de missis monearis, quo zelo fidei ferveas, et in pace tuenda perdurare usque in finem debere.“ Exinde sumpto sceptro baculoque: „His signis, inquit, monitus, paterna castigatione subiectos corripias, primumque Dei ministris, viduis ac pupillis manum misericordiae porrugas; numquamque de capite tuo oleum miserationis deficiat, ut in praesenti et in futuro sempiterno praemio coroneris.“ Perfususque ilico oleo sancto et coronatus diademate aureo ab ipsis pontificibus Hildiberhto et Wicfrido, ac omni legitima consecratione completa, ab eisdem pontificibus ducitur ad solium, ad quod per cocleas adscendebatur, et erat inter duas marmoreas mirae pulchritudinis columpnas construc tum, unde ipse omnes videre et ab omnibus ipse videri posset.

Nr. 37.

### *Ordo der Königskrone.*

Sog. deutsche Formel, aus dem Ende des 10. Jahrhunderts.  
Waitz, Die Formeln der deutschen Königs- und der römischen Kaiserkrönung vom 10. bis zum 12. Jhd. in Abhandlungen der kgl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. 18. Bd. 1873. S. 33 ff.

Incipit ordo ad regem benedicendum.

*Quando novus a clero et populo sublimatur in regnum, primum, exente illo thalamum, unus archiepiscopus dicat hanc orationem:*

Omnipotens, sempiterne Deus, qui famulum tuum N. regni fastigio dignatus es sublimare, tribue ei, quae sumus,

ut ita in huius seculi cursu cunctorum in commune salutem disponat, quatinus a tuae veritatis tramite non recedat. Per.

*Postea suscipiant illum duo episcopi dextera laevaque, honorifice parati, habentes sanctorum reliquias collo pendentes. Ceteri autem clerici sint casulis ornati; precedente sancto evangelio et duabus crucibus cum incenso boni odoris, ducant illum ad aeccliam, canentes responsorium. Resp.: Ecce mitto angelum meum. Vers.: Israiel, si me audieris; cuncto eum vulgo sequente. Ad ostium autem aeccliae cleris subsistat, et aliis archiepiscopus dicat hanc orationem:*

Deus, qui scis genus humanum nulla sua virtute posse subsistere, concede propitius, ut famulus tuus N., quem populo tuo voluisti preferri, ita tuo fulciatur adiutorio, quatinus quibus potuit preesse valeat et prodesse. Per.

*Introeuntes autem precedentes clerici decantent antiphonam: Domine, salvum fac regem et exaudi nos in die qua invocaverimus te usque in introitum chori. [Psalm.: Exaudiat te Cum Gloria Patri.] Tunc episcopus metropolitanus dicat hanc orationem:*

Omnipotens, sempiterne Deus, caelestium terrestriumque moderator, qui famulum tuum N. ad regni fastigium dignatus es provehere, concede, quae sumus, ut a cunctis adversitatibus liberatus et aecclasticae pacis dono muniantur et ad aeternae pacis gaudia, te donante, pervenire mereatur. Per.

*Tunc designatus princeps pallium deponat atque inter manus episcoporum perductus in chorum, usque ad altaris gradus incedat, cunctoque pavimento tapetibus et palliolis contecto, ibi humiliter totus in cruce prostratus iaceat, una cum episcopis et presbiteris hinc inde prostratis, ceteris autem in choro letaniam breviter psallentibus, id est 12 apostolorum totidemque martyres, confessores et virgines. Et inter cetera inferenda sunt ista:*

Ut hunc famulum tuum N. ad regem eligere digneris, te rogamus. Audi nos. Ut eum benedicere et sublimare digneris, te rogamus. Ut eum ad imperii fastigium producere digneris, te rogamus. et cetera huic benedictioni convenientia.

*Finita letania, erigant se episcopi, sublevatumque principem interroget dominus metropolitanus his verbis:*

Vis sanctam fidem a catholicis viris tibi traditam tenere et operibus iustis observare? *Resp.: Volo.*

Vis sanctis a ecclesiis a ecclesiarumque ministris tutor et defensor esse? *Resp.: Volo.*

Vis regnum tibi a Deo concessum secundum iusticiam patrum tuorum regere et defendere? *Resp.: In quantum divino fultus adiutorio ac solatio omnium fidelium suorum valuero, ita me per omnia fideliter acturum esse promitto.*

*Deinde dominus metropolitanus affatur populum dicens:*

Vis tali principi ac rectori te subicere ipsiusque regnum firma fide stabilire atque iussionibus illius obtemperare iuxta apostolum: „Omnis anima potestatisbus sublimioribus subdita sit“, regi quasi precellenti?

*Tunc ergo a circumstante clero et populo unanimiter dicatur: Fiat. Fiat. Amen.*

*Postea vero eo devote inclinato, dicatur ab episcopo haec oratio:*

Benedic, Domine, hunc regem nostrum N., qui regna omnium moderaris a seculo, et tali eum benedictione glorifica, ut Davitiae teneat sublimitatis sceptrum, et gloriificatus in eius protinus repperiatur merito. Da ei tuo inspiramine cum mansuetudine ita regere populum, sicut Salemonem fecisti regnum obtinere pacificum. Tibi semper cum timore sit subditus tibique militet cum quiete. Sit tuo clipeo protectus cum proceribus, et ubique tua gratia vixor existat. Honorifica eum pre cunctis regibus gentium, felix populis dominetur, et feliciter eum nationes adornent. Vivat inter gentium catervas magnanimus, sit in iudiciis aequitatis singularis; locuplet eum tua predives dextera; frugiferam obtineat patriam, et eius liberis tribus profutura. Presta ei prolixitatem vitae per tempora, et in diebus eius oriatur iusticia. A te robustum teneat regiminis solium, et cum iocunditate et iusticia aeterno glorietur in regno. Per.

*Deinde ab alio episcopo dicatur haec oratio:*

Deus inenarrabilis, auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperii, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui patriarchae nostri Abrahae preelegisti reges seculis profuturos, tu presentem regem hunc N. cum exercitu suo per intercessionem omnium sanctorum ubere benedictione locupleta et in solium regni firma stabilitate conete. Visita eum sicut Moysen in rubo, Iesu Nave in prelio, Gedeon in agro, Samuhelem in templo; et illa eum

benedictione sydereal sapientiae tuae rore perfunde, quam beatus David in psalterio, Salemon filius eius, te remunerante, percepit e caelo. Si ei contra acies inimicorum lorica, in adversis galea, in prosperis patientia, in protectione clipeus sempiternus, et presta, ut gentes illi teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligent caritatem, abstineant se a cupiditate, loquantur iustiam, custodiant veritatem. Et ita populus iste sub eius imperio pullulet, coalitus benedictione aeternitatis, ut semper maneant triplidianes in pace victores. Quod ipse prestare dignetur qui tecum vivit.

*Tunc dominus metropolitanus unguat de oleo sanctificato caput, pectus et scapulas ambasque compages brachiorum ipsius, ita dicendo:*

Unguo te in regem de oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. *Resp.: Amen. — Pax tibi. Resp.: Et cum spiritu tuo.*

*Deinde unguat sibi manus de oleo sanctificato, ita dicendo:*

Unguantur manus istae de oleo sanctificato, unde uncti fuerunt reges et prophetae, et sicut unxit Samuhel David in regem, ut sis benedictus et constitutus rex in regno isto super populum istum, quem dominus Deus tuus dedit tibi ad regendum ac gubernandum. Quod ipse prestare dignetur qui tecum.

*Sequitur oratio:*

Prospice, omnipotens Deus, serenis obtutibus hunc gloriosum regem N., et sicut benedixisti Abraham, Ysaac et Iacob, sic illum largis benedictionibus spiritualis gratiae cum omni plenitudine tuae potentiae irrigare atque perfundere dignare. Tribue ei de rore caeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti, vini et olei et omnium frugum opulentiam ex largitate divini muneris longa per tempora, ut illo regnante sit sanitas corporum in patria, et pax inviolata sit in regno, et dignitas gloriosa regalis palatii maximo splendore regiae potestatis oculis omnium fulgeat, luce clarissima clarescat atque splendere quasi splendidissima fulgura maximo perfusa lumine videatur. Tribue ei, omnipotens Deus, ut sit fortissimus protector patriae et consolator a ecclesiarum atque coenobiorum sanctorum maxima cum pietate regalis munificentiae, atque ut sit fortissimus regum, triumphator hostium, ad opprimendas rebelles et paganas nationes; sitque suis inimicis

satis terribilis pre maxima fortitudine regalis potentiae. Optimatibus quoque atque precelsis proceribusque ac fidelibus sui regni sit magnificus et amabilis et pius, ut ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis eius per successiones temporum futurorum egrediantur, regnum hoc regere totum; et post gloriosa tempora atque felicia presentis vitae gaudia sempiterna in perpetua beatitudine habere mereatur. Quod ipse prestare dignatur qui cum Patre.

Spiritus sancti gratia humilitatis nostrae officio in te copiosa descendat, ut, sicut manibus nostris indignis oleo materiali oblitus pingue scis exterius, ita eius invisibili unguine delibutus in pinguari merearis interius, eiusque spirituali unctione perfectissime semper imbutus et illicita declinare tota mente et spernere discas seu valeas, et utilia animae tuae iugiter cogitare, optare atque operari queas; auxiliante domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo patre et eodem Spiritu sancto vivit et regnat deus.

*Alia:*

Deus, qui es iustorum gloria et misericordia peccatorum, qui misisti filium tuum preciosissimo sanguine suo genus humanum redimere, qui conteris bella et propugnator es in te sperantium, et sub cuius arbitrio omnium regnorum continetur potestas, te humiliter deprecamur, ut presentem famulum tuum N. in tua misericordia confidentem benedicas eique propitiis adesse digneris, ut, qui tua expetit protectione defendi, omnibus sit hostibus fortior. Fac eum, Domine, beatum esse et victorem de inimicis suis; corona eum corona iusticiae et pietatis, ut ex toto corde et tota mente in te credens tibi deserviat, sanctam tuam aeccliam defendat et sublimet populumque a te sibi commissum iuste regat, nullus insidiantibus malis eum in iniusticiam vertat. Accende, Domine, eorū ad amorem gratiae tuae per hoc unctionis oleum, unde unxisti sacerdotes, reges et prophetas, quatinus iusticiam diligens, per tramitem similiter iusticiae populum dicens, post peracta a te disposita in regali excellentia annorum curricula pervenire ad aeterna gaudiā mereatur. Per eundem Dominum nostrum. Per omnia secula seculorum. *[Resp.J:* Amen. — Dominus vobiscum. *[Resp.J:* Et cum spiritu tuo. — Sursum corda. *[Resp.J:* Habemus ad Dominum. — Gratias agamus domino Deo nostro. *[Resp.J:* Dignum et iustum est.

*Praefatio:* Vere dignum etc. usque aeterne Deus. Creator omnium, imperator angelorum, rex regnantium dominusque dominantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi et Iosuae populo prelati multiplicem victoram tribuisti humilemque David puerum tuum regni fastigio sublimasti et Salemonem sapientiae pacisque ineffabili munere ditasti: respice, quae sumus, ad preces humilitatis nostrae, et super hunc famulum tuum N., quem supplici devotione in regem eligimus, benedictionum tuarum dona in eo multiplica eumque dextera tuae potentia semper et ubique circumda, quatinus predicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moysi mansuetudine fretus, Iosuae fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salemonis sapientia decoratus, tibi in omnibus placeat, et per tramitem iusticiae inoffenso gressu semper incedat; aeccliamque tuam deinceps cum pleibus sibi annexis ita enutriat ac doceat, muniat et instruat, contraque omnes visibles et invisibilis hostes idem potenter regaliterque tuae virtutis regimen administraret, et ad verae fidei pacisque concordiam eorum animos, te opitulante, reformat, ut horum populorum debita subiectione fultus, condigno amore glorificatus, ad paternum decenter solium tua miseratione descendere mereatur; tuae quoque protectionis galea munitus et scuto insuperabili iugiter protectus armisque caelestibus circumdatu, optabilis victoriae triumphum feliciter capiat terrorremque suae potentiae infidelibus inferat et pacem tibi militantibus laetanter reportet. Per Dominum nostrum, qui virtute sanctae crucis tartara destruxit, regnoque diaboli superato, ad caelos victor ascendit, in quo potestas omnis regumque consistit victoria, qui est gloria humilium et vita salusque populorum, qui tecum vivit.

*Oratio:*

Deus, Dei filius, Iesus Christus, dominus noster, qui a Patre oleo exultationis unctus est pre participibus suis, ipse per presentem sacri unguinis infusionem Spiritus paracliti super caput tuum infundat benedictionem eandemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatinus hoc visibili et tractabili dono invisibilia percipere, et temporali regno iustis moderaminibus executo, aeternaliter cum eo regnare merearis, qui solus sine peccato rex regum vivit et gloriatur cum Deo patre in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum amen.

*Postea ab episcopisensem accipiat, et cum ense totum sibi regnum fideliter ad regendum secundum supradicta verbal sciatis esse commendatum, et dicatur:*

Accipe gladium per manus episcoporum, licet indignas, vice tamen et auctoritate sanctorum apostolorum consecratas, tibi regaliter impositum, nostraequae benedictionis officio in defensionem sanctae Dei aeccliae divinitus ordinatum; et esto memor, de quo psalmista prophetavit, dicens: „Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime“, ut in hoc per eundem vim aequitatis exerceas, molem iniquitatis potenter destruas et sanctam Dei aeccliam eiusque fideles propugnes ac protegas, nec minus sub fide falsos quam christiani nominis hostes execres ac destruas, viduas et pupillos clementer adiuves ac defendas, desolata restauras, restaurata conserves, ulciscaris iniusta, confirmes bene disposita, quatinus haec in agendo, virtutum triumpho gloriosus iusticiaeque cultor egregius, cum mundi Salvatore, cuius typum geris in nomine, sine fine merearis regnare. Qui cum Patre [et Spiritu sancto vivit et regnat].

*Accinctus autem ense, similiter ab illis armillas et pullum et anulum accipiat, dicente metropolitanu:*

Accipe regiae dignitatis anulum, et per hunc in te catholicae fidei cognosce signaculum, quia, ut hodie ordinari caput et princeps regni ac populi, ita perseverabis auctor ac stabilitor christianitatis et christiana fidei, ut felix in opere, locuples in fide, cum Rege regum gloriensis per aevum. Cui est honor et gloria per infinita saecula seculorum amen.

*Postea sceptrum et baculum accipiat, dicente sibi ordinatore:*

Accipe virgam virtutis atque aequitatis, qua intelligas mulcere pios et terrere reprobos, errantibus viam pandere, lapsis manum porriger, disperdasque superbos et releves humiles; et aperiat tibi ostium Jesus Christus dominus noster, qui de se ipso ait: „Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur“; et ipse qui est clavis David et sceptrum domus Israel, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit; sitque tibi auctor, qui educit vincetum de domo carceris sedentemque in tenebris et umbra mortis; et in omnibus sequi merearis eum, de quo David propheta cecinit: „Sedes tua, Deus, in seculum seculi, virga aequitatis virga regni tui“; et imitando ipsum, diligas iusticiam et

odio habeas iniquitatem; quia propterea unxit te Deus, Deus tuus, ad exemplum illius, quem ante secula unxerat oleo exultationis pre participibus suis, Iesum Christum dominum nostrum, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum amen.

*Postea metropolitanus reverenter coronam capit regis imponat, dicens:*

Accipe coronam regni, quae, licet ab indignis, episcoporum tamen manibus capit regis imponitur, eamque sanctitatis gloriam et honorem et opus fortitudinis expresse signare intelligas, et per hanc te participem ministerii nostri non ignores, ita ut, sicut nos in interioribus pastores rectoresque animarum intelligimur, tu quoque in exterioribus verus Dei cultor strenuusque contra omnes adversitates aeccliae Christi defensor regnique tibi a Deo dati et per officium nostrae benedictionis vice apostolorum omniumque sanctorum tuo regimini commissi utilis exsecutor regnatorque proficuus semper appareas, ut inter gloriosos athletas virtutum gemmis ornatus et premio sempiternae felicitatis coronatus, cum redemptore ac salvatore Iesu Christo, cuius nomen vicemque gestare crederis, sine fine gloriensis, qui vivit et imperat deus cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum amen.

*Et ab eo statim dicatur benedictio super eum, quae et tempore synodi super regem dicenda est:*

Benedicat tibi Dominus, custodiatque te, et sicut te voluit super populum suum esse regem, ita in presenti seculo felicem et aeternae felicitatis tribuat esse consortem. Amen.

Clerum ac populum, quem sua voluit opitulatione in tua sanctione congregari, sua dispensatione et tua administratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. Amen.

Quatinus divinis monitis parentes, adversitatibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo imperio fidi amore obsequentes, et in presenti seculo tranquillitate fruantur et tecum aeternorum civium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse prestare [dignetur, cuius regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum]. Benedictio [Dei Patris et Filii et Spiritus sancti descendat super te. Amen.]

*Deinde coronatus honorifice per chorum ducatur de*

*altari ab episcopis usque ad solium, canente clero. Resp.: Desiderium animae eius [tribuisti ei, Domine].*

*Deinde dicat sibi dominus metropolitanus:*

Sta et retine locum amodo, quem hucusque paterna successione tenuisti, hereditario iure tibi delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis et presentem traditionem nostram, scilicet omnium episcoporum ceterorumque servorum Dei, et quanto clerum sacris altaribus propinquorem perspicies, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatinus Mediator Dei et hominum te mediatorem cleri et plebis.

*Hoc in loco dominus metropolitanus sedere eum faciat super sedem, dicendo:*

In hoc regni solio confirmet te et in regno aeterno secum regnare faciat Iesus Christus dominus noster, rex regum et dominus dominantium, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum. [Resp.: Amen.]

*Post haec det illis oscula pacis. Cunctus autem coetus clericorum tali rectore gratulans, sonantibus campanis, hymnum alta voce concinat:*

Te Deum laudamus, [cantante populo Kyrieleyson]. Tunc episcopus metropolitanus missam celebret plena processione.

*Sequitur ordo missarum.*

[An.: Dominus fortitudo. Ps.: Ad te, Domine, clamabo. O.: Salvum fac servum. Vers.: Auribus percipe. Alleluja, Domine in virtute. Of.: Populum humilem. Com.: Dominus virtutum.]

*Oratio:*

Deus, qui miro ordine universa disponis et ineffabiliter gubernas, presta, quae sumus, ut famulus tuus N. haec in huius seculi cursu implenda decernat, unde tibi in perpetuum placere prevaleat. Per.

*Secreta:*

Concede, quae sumus, omnipotens Deus, his salutaribus sacrificiis placatus, ut famulus tuus N. ad peragendum regalis dignitatis officium inveniatur semper idoneus et caelesti patriae reddatur acceptus. Per.

*Benedictio super regem:*

Omnipotens Deus, qui te populi sui voluit esse rectorem, ipse te caelesti benedictione sanctificans, aeterni regni faciat esse consortem. Amen. Concedatque tibi contra

omnes fidei christianaes hostes visibles atque invisibilis victoriam triumphalem et pacis ac quietis aecclesiasticae felicissimum te fieri longe lateque fundatorem. Amen. Quatenus, te gubernacula regni tenente, populus tibi subiectus christianaes religionis iura custodiens, undique tutus pace tranquilla perfruatur, et te in concilio regum beatorum collocato, aeterna felicitate ibidem pariter gaudere mereatur. Amen. Quod ipse prestare dignetur cuius regnum].

*Ad communionem.*

Haec, Domine, salutaris sacrificii perceptio famuli tui N. peccatorum maculas diluat et ad regendum secundum voluntatem tuam populum idoneum illum reddat, ut hoc salutari misterio contra visibles atque invisibilis hostes reddatur invictus, per quod mundus est divina dispensatione redemptus. Per.

Benedictio Reginae.

*In ingressu aecclesiae dicatur:*

Omnipotens, aeterne Deus, fons et origo totius bonitatis, qui feminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando aversaris, sed dignanter comprobando pocius eligis, et qui infirma mundi eligendo fortia quaeque confundere decrevisti, quique etiam gloriae virtutisque tuae triumphum in manu Iudith feminae olim Iudaicae plebi de hoste saevissimo resignare voluisti, respice, quae sumus, ad preces humilitatis nostrae, et super hanc famulam tuam N., quam supplici devotione in reginam eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica eamque dextera tuae potentiae semper et ubique circumda, ut umbone muniminis tui undique secus firmiter protecta, visibilis seu invisibilis hostis nequicias triumphaliter expugnare valeat, et una cum Sara atque Rebecca, Lia et Rachel, beatis reverendisque feminis, fructu uteri sui foecundari seu gratulari mereatur, ad decorem totius regni statumque sanctae Dei aecclesiae regendum neconon protegendum, per Christum dominum nostrum, qui ex intemerato beatae Mariae virginis alvo nasci, visitare ac renovare hunc dignatus est mundum, qui tecum vivit et gloriatur deus in unitate Spiritus sancti. Per immortalia secula seculorum.

*Benedictio eiusdem ante altare:*

Deus, qui solus habes immortalitatem lucemque habitas inaccessibilem, cuius providentia in sui dispositione non fallitur, qui fecisti quae futura sunt et vocas ea quae

non sunt tamquam ea quae sunt, qui superbos aequo moderamine de principatu eicis atque humiles dignanter in sublime provehis, ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, ut, sicut Hester reginam, Israelis causa salutis de captivitatis suae compede solutam, ad regis Assueri thalamum regnique consortium transire fecisti, ita hanc famulam tuam N. humilitatis nostrae benedictione, christianae plebis gratia salutis, ad dignam sublimemque regis nostri copulam regnique sui participium misericorditer transire concedas, et ut in regalis foedere coniugii semper manens pudica, proximam virginitati palmam continere queat tibique Deo vivo et vero in omnibus et super omnia iugiter placere desideret, et te inspirante quae placita sunt toto corde perficiat. Per.

*Sacri unctionis olei:*

Sancti Spiritus gratia humilitatis nostrae officio in te copiosa descendat, ut, sicut manibus nostris indignis oleo materiali oblita pingueis exterius, ita eius invisibili unguine delibuta impinguari merearis interius, eiusque spirituali unctione perfectissime semper imbuta, et illicita declinare tota mente et spernere discas seu valeas, et utilia animae tuae iugiter cogitare, optare atque operari queas, auxiliante domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo Patre et eodem Spiritu sancto vivit et regnat deus in secula seculorum.

*Coronae impositio:*

Officio indignitatis nostrae seu congregationis in regnam benedicta, accipe coronam regalis excellentiae, quae, licet ab indignis, episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur; unde, velut exterius auro et gemmis redimita enites, ita et interius auro sapientiae virtutumque gemmis decorari contendas; quatinus post occasum huius seculi cum prudentibus virginibus sponso perenni domino nostro Iesu Christo digne et laudabiliter occurrens, regiam caelestis aulae merearis ingredi. [Per eundem dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.] Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat deus per infinita secula seculorum amen.

Nr. 38.

Ottos I. Kaiserkrönung am 2. Februar 962.

- a) Liutprand, Historia Ottonis c. 3.  
MG. SS. III 340.

... ubi miro ornatu novoque apparatu susceptus, ab eodem summo pontifice et universalis papa Iohanne unctionem suscepit imperii.

- b) Chronicon Salernitanum.  
MG. SS. III 554.

Ipseque Otto ... a papa praedicto Iohanne oleo unctionis est unctionis coronaque suo capite septus, et ab omnibus imperator augustus est nimirum vocatus.

Nr. 39.

Ritus der Kaiserkrönung.

Sog. Ordo Cencius II. Fabre, Le liber censuum p. 1.

Incipit ordo Romanus ad benedicendum imperatorem, quando coronam accipit a domino papa in basilica beati Petri apostoli ad altare sancti Mauricii.

Die dominico summo mane descendit Electus cum coniuge sua ad sanctam Mariam Transpadinam, que est iuxta Terebinthum; ibique recipitur honorifice a prefecto urbis et comite palatii Lateranensis, et uxor eius a dativo iudice et archario et deducitur per porticum, clericis Urbis omnibus induitis cappis, planetis, dalmaticis et tunicis cum turribulis, cantantibus: *Ecce mitto angelum meum, usque ad suggestum aree superioris, que est in capite graduum ad portas ereas sancte Marie in Turri.* Ibi sedet dominus papa in sede sua, circumstantibus episcopis et cardinalibus diaconis et ceteris ecclesiae ordinibus. Tunc electus imperator cum coniuge et omnibus baronibus suis, clericis et laicis, osculantur pedes domini papae; et regina in partem cum supradictis ductoribus suis recedente, Electus iurat fidelitatem domino Pape in hunc modum: *In nomine domini nostri Ihesu Christi. ego N. rex et futurus imperator Romanorum promitto, spondeo, polliceor atque per hec evangelia iuro coram Domine et beato Petro apostolo tibi*

*N. beati Petri apostoli vicario fidelitatem, tuisque successori- bus canonice intrantibus; meque amodo protectorem ac defensorem fore huius sancte Romane ecclesie et vestre persone vestrorumque successorum in omnibus utilitatibus in quantum divino fultus fuero adiutorio, secundum scire meum ac posse, sine fraude et malo ingenio. Sic me Deus adiuvet et haec sancta evangelia. Ibique camerarius domini pape Electi pallam accipit sibi habendam. Deinde querit ab eo dominus papa ter: si vult habere pacem cum ecclesia, eoque ter respondente: „Volo“, dominus Papa dicit: Et ego do tibi pacem, sicut Dominus dedit discipulis suis, osculaturque frontem eius et mentum (rasus enim esse debet) et ambas genas, postremo os. Tunc surgens dominus papa, ter querit ab eo: si velit esse filius Ecclesiae, et illo ter respondente: „Volo“, dominus papa dicit: Et ego te recipio ut filium Ecclesie. Et mittit eum sub manto, et ille osculatur pectus domini pape et accipit eum per dexteram manum et cancellarius eius sustentat eum a sinistra. Electus vero ducitur per dexteram ab archidiacono domini pape; et sic intrat per portam E(ream), clericis beati Petri cantantibus: *Benedictus dominus Deus Israel*, usque ad portam Argentariam. Ibi dimittit eum dominus papa orantem, quem lento subsequitur gradu regina cum supradictis ductoribus suis usque ad supradictam portam Argenteam. Electus vero completa oratione surgit, et episcopus Albanensis dat super eum hanc primam orationem: *Deus, in cuius manu corda sunt regum, inclina ad preces humilitatis nostre aures misericordie tue et principi nostro famulo tuo N. regimen appone sapientie et austis de tuo fonte consiliis tibi placeat et super omni regna precellat.**

Postea dominus papa ingreditur ecclesiam beati Petri clericis eiusdem ecclesie cantantibus responsoriū: *Petre amas me?* Quo completo dominus papa benedicit. Deinde sedet in sede sibi praeparata in dextera parte eiusdem rote. Completa oratione Albanensis episcopi ingreditur Electus et sedet in predicta sede, archipresbitero cardinalium et archidiacono hinc inde eum ducentibus et iuxta eum sedentibus, ut doceant, qualiter debeat domino pape in scrutinio respondere. Dominus papa facit scrutinium in hunc modum:

Septem episcopis sedentibus ad dexteram eius, secundum ordinem suum, episcopi theutonici sedeant ad dexteram Electi, cardinales et ceteri ordines ecclesie sedeant. Dominus

Papa dicit: *Antiqua sanctorum patrum institutio docet et precipit ut quisquis eligitur ut preesse debeat diligentissime examinetur cum omni caritate de fide sancte Trinitatis et interrogetur de diversis causis vel moribus qui suo regimini congruunt, iuxta apostolicum dictum: „Manum cito nemini imposueris“; et ut etiam is qui ordinandus est antea erudiatur qualiter eum in ea prelatione constitutum oporteat conversari, ut excusabiles sint qui ei manus imponunt. Eadem itaque auctoritate et precepto interrogamus te, dilecte fili, caritate sincera si omnem prudentiam tuam, quantum tua capax est natura, divino servitio mancipare volueris? Respondet: Ita toto corde volo in omnibus obediere et consentire. Interrogatur: Vis mores tuos ab omni malo temperare et quantum poteris Domino adiuvante ad omne bonum commutare? Respondet: In quantum possum, volo. Interrogatur: Vis sobrietatem cum Dei auxilio custodire? Respondet: In quantum possum volo. Interrogatur: Vis semper divinis mancipari negotiis et a lucris turpibus esse alienus, quantum te humana permittit fragilitas? Respondet: In quantum possum volo. Interrogatur: Vis humilitatem et patientiam in temetipso custodire et alios ad hoc inclinare? Respondet: In quantum possum volo. Interrogatur: Pauperibus et peregrinis omnibusque indigentibus vis esse propter nomen Domini affabilis et misericors? Respondet: Volo. Et dicat dominus Papa: *Hec omnia et cetera bona tibi tribuat Dominus et custodiat te atque corroboret in omni bono.* Et respondent omnes: Amen. Interrogatur: Credis secundum intelligentiam tuam et capacitatem sensus tui sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem totamque in Trinitate deitatem, coessentialm et consubstantialem, coeternum et coomnipotentem uniusque voluntatis potestatis et maiestatis, creatorem omnium creaturarum a quo omnia et in quo omnia que sunt in celo et in terra visibilia et invisibilia? Respondet: Assentio et ita credo. Interrogatur: Credis singulam quamque in sancta Trinitate personam unum Deum verum plenum et perfectum? Respondet: Credo. Interrogatur: Credis ipsum Dei Filium verbum Dei eternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem et coequalem per omnia Patri et divinitate temporaliter natum de Spiritu sancto ex Maria semper virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates unam ex Patre eternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum*

*et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum neque fantasticum, unicum et unum Deum, filium Dei in duabus naturis sed in unius persone singularitate, impassibilem et immortalem divinitatem sed in humanitate pro nobis et pro nostra salute passum vera carnis passione, et sepultum et resurgentem a mortuis die tercia vera carnis resurrectione, die quadragesimo post resurrectionem cum carne qua surrexit et anima ascendiisse in celum et sedere ad dexteram Dei patris, unde venturus est iudicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala? Respondet: Assentio et per omnia credo. Interrogatur: Credis etiam Spiritum sanctum, plenum et perfectum verumque Deum ex Patre et Filio procedentem, coequalem et coessentiali et coomnipotentem et coeternum per omnia Patri et Filio? Respondet: Credo. Interrogatur: Credis hanc sanctam Trinitatem non tres Deos sed unum Deum omnipotentem, eternum, invisibilem et incommutabilem? Respondet: Credo. Interrogatur: Credis sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram ecclesiam, in qua datur baptisma et vera omnium remissio peccatorum? Respondet: Credo. Interrogatur: Anathematizas etiam omnem haeresim extollentem se adversus sanctam ecclesiam catholicam? Respondet: Anathematizo. Interrogatur: Credis etiam veram resurrectionem eiusdem carnis quam nunc gestas et vitam eternam? Respondet: Credo. Interrogatur: Credis etiam novi et veteris testamenti, legis et prophetarum et apostolorum unum esse auctorem Deum et dominum omnipotentem? Respondet: Credo. Et dicatur ei: Hec tides augeatur a Domino ad veram et ad eternam beatitudinem, dilectissime in Christo fili. Et respondeant omnes: Amen.*

Tunc vadit dominus papa ad secretarium, et induit se pontificalibus indumentis usque ad dalmaticam, qua indutus sedet. Interim episcopus Portuensis in medio rote mediane dat hanc orationem super Electum: *Deus inenarrabilis auctor mundi et cetera sicut in unctione regis.<sup>1</sup>* Finita oratione vadit Electus ad chorum sancti Gregorii cum predicto cardinalium archipresbytero et archidiacono, quibus quasi magistris uti debet in toto officio unctionis, et induunt eum amictu et alba et cingulo, et sic deducunt

<sup>1</sup> Vgl. oben S. 70.

eum ad dominum Papam in secretarium, ibique facit eum clericum, et concedit ei tunicam, et dalmaticam, et pluvialem, et mitram, caligas et sandalia, quibus utatur in corona[tione] sua, et sic induitus stat ante dominum papam. Verum completo scrutinio, exit Hostiensis episcopus ad portam Argenteam, ubi Reginam cum iudicibus et baronibus suis praestolatur et dat ei hanc orationem: *Omnipotens eterne Deus, fons et origo bonitatis, qui feminine sexus fragilitatem nequaquam reprobando aversaris, sed dignanter comprobando potius eligis, et qui infirma mundi eligendo, queque fortia confundere decrevisti, quique eternae glorie virtutisque tue triumphum in manu Iudit feminine Iudaice plebi de hoste sevissimo resignare voluisti, respice quesumus ad preces humilitatis nostre et super hanc famulam tuam N. quam supplici devotione in reginam eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eamque dextera tue potentie semper et ubique circumda, ut verbo munimini tui undique firmiter protecta, visibilis seu invisibilis hostis nequias triumphanter expugnare valeat, et una cum Sarra atque Rebecca, Lia et Rachel beatis reverendisque feminis fructu uteri sui iocundari seu gratulari mereatur ad decorum totius regni statumque sanctie Dei Ecclesie regendum necnon protegendum per Christum Dominum nostrum, qui ex intemerato beate Marie virginis utero nasci, visitare ac renovare hunc dignatus est mundum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus Sancti per immortalia secula seculorum. Amen.* Qua oratione completa, unus de cardinalibus presbyteris cui prior preceperit et de diaconibus similiter unus cui archidiaconus iusserit, Reginam deducant usque ad altare sancti Gregorii ibique expectet donec dominus papa cum sua processione exeat.

Compleatis igitur omnibus supradictis, ministri induant dominum papam planetam et pallem et imposita mitra procedat, ordinibus de more precedentibus; post quem vadat Electus cum supradictis ductoribus suis, quem sequatur uxor eius usque ad archam beati Petri. Tunc primicerius cantat introitum cum schola et *Kyrieleison* et silet. Dominus papa ascendit ad altare et post confessionem dat pacem diaconibus et incensat; post incensum ascendit ad sedem. Electus vero inter hec et uxor eius prosternuntur ante archam beati Petri, et archidiaconus facit litaniam. Qua finita exiuit, solo pluviali demisso. Episcopus Hostiensis

ungat brachium dextrum de oleo exorcizato et inter scapilias et dicit: *Domine Deus omnipotens, cuius est omnis potestas et dignitas, te supplici devotione atque humillima prece deposcimus, ut huic famulo tuo prosperum imperatorie dignitatis concedas effectum, ut in tua dispositione constituto ad regendam ecclesiam tuam nichil ei prefinita officiant, futuraque non obsistant, sed inspirante Sancti Spiritus tui dono populum sibi subditum equo iustitie libramine regere valeat, et in omnibus operibus suis te semper timeat, tibique iugiter placere contendat. Per dominum, etc.* Sequitur oratio: *Deus Dei Filius etc.*<sup>1</sup> Post regis unctionem sequitur benedictio Regine ante altare: *Deus qui solus habes immortalitatem lucemque habitas inaccessibilem, cuius providentia in sui dispositione non fallitur; qui fecisti que futura sunt et vocas ea que non sunt tanquam ea que sunt; qui superbos equo moderamine de principatu eicis, atque humiles dignanter in sublime provehis, ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, ut sicut Hester reginam Israhel, causa salutis de captivitatis sue compede solutam, ad regis assumi thalamum regnique sui consortium transire fecisti, ita hanc famulam tuam N. humilitatis nostre benedictione, christiane plebis gratia salutis, ad dignam sublimemque Regis nostri copulam regnique sui participium misericorditer transire concedas, et ut regali federe coniugii semper manens pudica proximam dignitatis palmam continere queat, ubi Deo vivo et vero in omnibus et super omnia iugiter placere desideret, et te inspirante que tibi placita sunt toto corde perficiat. Per dominum nostrum Ihesum Christum. Sacri unctionis olei in pectore Reginae Spiritus Sancti gratia humilitatis nostre officio copiosa descendat; ut sicut manibus nostris indignis oleo materiali obliterata pinguescit exterius, ita eius invisibili ungimine delibuta, impinguari merearis interius; eiusque spirituali unctione perfectissime semper imbuta, et illicita declinare tota mente et spernere discas seu valeas, et utilia anime tue iugiter cogitare, optare atque operari queas, auxiliante domino nostro Ihesu Christo, qui cum Patre et eodem Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.* Post hec dominus papa descendit a sede, et vadit ad altare sancti Mauritii, sequente Electo et Regina; et domino

<sup>1</sup> Vgl. oben S. 73.

papa stante super limen in introitu altaris, Electus stet ante eum in medio rote; ad cuius dextram stet Regina, sex episcopis palati Lateranensis in rotis que ibi posite sunt circumstantibus, septimo in officio altaris domino papae serviente. Tunc oblationarius prior et secundus sumant coronas Electi et Reginae de altari sancti Petri, et ponant super altare sancti Mauritii. Tunc dominus papa det anulum electo et dicat: *Accipe anulum, signaculum videlicet sancte fidei, soliditatem regni, augmentum potentiae, per quem scias triumphali potentia hostes repellere, hereses destruere, subditos coadunare et catholicae fidei perseverabilitati connecti. Per etc.* Oratio post anulum datum: *Deus, cuius est omnis potestas et dignitas, da famulo tuo prosperum sue dignitatis effectum, in qua te remunerante permaneat, semperque teneat, tibique iugiter placere contendat. Per, etc.* Hic cingit eum gladio et dicit: *Accipe hunc gladium cum Dei benedictione tibi collatum, in quo per virtutem Spiritus Sancti resistere et eicere omnes inimicos tuos valeas et cunctos sancte Dei ecclesie adversarios, regnumque tibi commissum tutari atque protegere castra Dei, per auxilium invictissimi triumphatoris domini nostri Ihesu Christi, qui cum Patre in unitate Spiritus Sancti vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Oratio post gladium: *Deus qui providentia tua celestia simul et terrena moderaris, propitiare christianissimo Regi nostro, ut omnis hostium suorum fortitudo virtute gladii spirituali frangatur, atque pro illo pugnante penitus conteratur. Hic coronetur. Tunc archidiaconus accipiat coronam de altari sancti Mauritii et porrigit domino papae, quam cum dominus papa posuerit super caput Electi, dicat hanc orationem: Accipe signum glorie in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut spreto antiquo hoste spretisque contagis omnium vitiorum, sic iudicium et iustitiam diligas, et ita misericorditer vivas, ut ab ipso domino nostro Ihesu Christo in consortio sanctorum eterni regni coronam percipias. Qui cum patre, etc.* Impositio corone super caput Regine. Quam cum imponit dominus super caput eius imponant manus septem episcopi et dicat dominus papa alta voce, septem episcopi taceant: *Accipe coronam regalis excellentiae, que licet ab indignis, episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur. Unde velut hec exterius auro est et gemmis redimita, ita tu interius auro sapientiae virtutumque gemmis decorari contendas,*

*quatinus post occasum huius seculi cum prudentibus virginibus sponso perhenni domino nostro Ihesu Christo digne et laudabiliter occurras ianuamque celestis regni cum eodem ingredi merearis, qui cum Deo, Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per infinita secula seculorum. Amen.* Hic det dominus Papa sceptrum imperii et dicat: *Accipe sceptrum, regie potestatis insigne, virgam scilicet rectam regni, virgam virtutis qua te ipsum bene regas, sanctam ecclesiam populumque christianum tibi a Deo commissum regia virtute ab improbis defendas, pravos corrigas, rectos pacifices, et ut viam rectam tenere possint tuo iuvamine dirigas, quatinus de temporali regno ad eternum pervenias, ipso adiuvante cuius regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.* Oratio post datum sceptrum: *Omnium, Domine, fons bonorum cunctorumque, Deus institutor profectuum, tribue quesumus famulo tuo N. adeptam bene regere dignitatem et a te sibi prestitum honorem corroborare dignare: honorifica eum precunctis regibus terre, uberi eum benedictione locupleta, et in solio regni firma stabilitate consolida. Visita eum in sobole, praesta ei prolixitatem vite, in diebus eius semper oriatur iustitia, ut cum iucunditate et letitia eterno glorieatur in regno. Per Dominum etc.* Post hec dominus papa cum suis ministris ad altare beati Petri revertitur. Tunc Prefectus Urbis et Primicerius iudicium deducant imperatorem, imperatricem vero Prefectus navalium et Secundicerius iudicium. Quibus in locis suis iam stantibus, dominus papa incipit: *Gloria in excelsis Deo.* Et scola respondet. Deinde dicit hanc orationem: *Deus regnorum omnium, etc.* Qua finita Archidiaconus cum ceteris palati diaconibus, et Primicerio et subdiaconis inter crucem et altare incipit has laudes: *Exaudi, Christe!* — Scola cum notariis in choro respondet: *Domino nostro C. a Deo decreto summo Pontifici et universalis pape vita.* Et hoc ter. Iterum dicit Archidiaconus cum cantantibus simul: *Exaudi, Christe.* Et scola cum notariis respondet: *Domino nostro a Deo coronato magno et pacifico imperatori vita et victoria, tribus vicibus. Exaudi, Christe! Domine nostre N. eius coniugi excellentissime imperatrici vita, tribus vicibus.* Item: *Exaudi, Christe.* Respondetur. *Exercitui Romano et Theotonico vita et victoria, tribus vicibus.* Item: *Saluator mundi!* — R. *Tu illos adiuva, ter.*

Item: *Sancte Michael.*  
*Sancte Gabriel.*  
*Sancte Raphael.*  
*Sancte Petre.*  
*Sancte Paule.*  
*Sancte Iohannes.*  
*Sancte Gregori.*  
*Sancte Maurici.*  
*Sancte Mercuri.*

R. *Tu illos adiuva, ter.*

*Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.*

R. alii similiter ter.

*Spes nostra.*  
*Salus nostra.*  
*Victoria nostra.*  
*Honor noster.*  
*Gloria nostra.*  
*Murus noster inexpugnabilis.*  
*Laus nostra.*  
*Triumphus noster.*

R. *Christus vincit.*

*Ipsi laus, honor et imperium per immortalia secula seculorum. Amen.* Hac laude finita, legitur epistola, et cantatur graduale et alleluia. Post que Imperator et Imperatrix deponunt coronas. Tunc legitur evangelium. Post quod imperator deponit gladium et ascendit ad sedem domini papae, imperatrice sequente, et offert domino pape panem simul et cereos et aurum. Singillatim vero Imperator vinum, Imperatrix aquam de quibus debet ea die fieri sacrificium. Quibus finitis revertuntur ad loca sua. Quum autem prefacio incipit, Imperator extrahit pluviale et induit manto proprio. Cum datur *Pax Domini*, ascendit ad communicandum, indutus proprio manto et Imperatrix cum eo. Et accepta communione iterum redeunt ad loca sua. Finita vero missa, accedat ad imperatorem comes palatii et discalciat eum sandaliis et caligis et calciet eum ocreas imperiales, et calcaria sancti Mauriti, et acceptis coronis sequantur dominum papam pergentem ad equitandum deducti usque ad equos a supradictis ductoribus. Cum dominus papa venerit ad equum, Imperator teneat stapham, et coronetur et intret in processionem. Imperator cum suis ductoribus eum sequitur. Imperatrix vero cum ductoribus suis sequatur Imperatorem. Ceteri barones sequantur. Clerici urbis omnes sicut soliti sunt

laudes faciant per loca sua; Iudei similiter in loco suo; coronetur civitas, campanae sonent omnes. Camerarii imperatoris precedant et sequantur nummos proiicientes, ut equitantum iter non impediatur. Cumque pervenerint ad ascensorium, prior cardinalium sancti Laurentii foras muros incipit laudes, sicut mos est, et ceteri respondent. Quibus finitis Imperator descendit, et tenet stapham domino papa descendente, deposita prius corona. Deinde ducitur dominus papa ab Imperatore et Prefecto Urbis usque ad cameram maioris palatii, ubi inde separantur. Imperatrix vero deducitur a Primicerio et Secundicerio iudicum usque ad cameram Iuliae imperatricis; in qua ipsa comedere debet cum episcopis et ceteris baronibus suis. Camerarii imperatoris cum camerario domini pape dent presbyterium omnibus ordinibus sacri palatii, pontifice et Imperatore in camera pausantibus. Quo peracto comedat Imperator ad dexteram domini pape, ceteris in locis suis sedentibus. Finito prandio surgat unus ex diaconibus quem archidiaconus iusserit, et legat lectionem; qua perfecta surgant cantores et cantent quod soliti sunt. Finito cantu, surgant omnes cum benedictionibus. Dominus papa redeat ad cameram suam, Imperator ad cameram Iuliae.

Electus descendens de Monte Gaudii et veniens ad ponticellum iurat hoc sacramentum Romanis: *Ego N. futurus imperator iuro me servaturum Romanis bonas consuetudines et firmo chartas tertii generis et libelli sine fraude et malo ingenio. Sic Deus me adiuvet et hec sancta Dei evangelia.* Ad portam Collinam similiter iurare debet. In gradibus sancti Petri similiter.

## VI. Übergang zum hierokratischen System.

Nr. 40.

*Protest gegen das Staatskirchentum.*

- a) Die Bischöfe an Ludwig den Frommen 829; de persona regali c. 6.  
MG. Capitul. II 50.

Nam et illud, quod in eisdem capitolis continetur, ut manifestum fieret, quae causa id effecerit, ut sacerdotes et principes a recto tramite deviassent, exceptis praemissis capitolis, in quibus, sicut diximus, multa neglegeruntur, specialiter unum obstaculum ex multo tempore iam inolevisse cognovimus, id est, quia et principalis potestas diversis occasionibus intervenientibus secus, quam auctoritas divina se habeat, in causas ecclesiasticas prosiluerit et sacerdotes partim neglegentia, partim ignorantia, partim cupiditate in saecularibus negotiis et sollicitudinibus ultra, quam debuerant, se occupaverint.

Vgl. Nr. 27 S. 54.

- b) Synode von Diedenhofen 844 c. 2.

MG. Capitul. II 114.

Quia bene nostis ab illo, qui solus merito et rex et sacerdos fieri potuit, ita ecclesiam dispositam esse, ut pontificali auctoritate et regali potestate gubernetur, et scriptum esse liquido pervidetis: „Ubi non est gubernator, populus corruit“ (Prov. 11, 14), et tanto periculosius, quanto anima plus est pretiosa quam corpus, canonum etiam inrefragabilis auctoritas super episcoporum ordinatione et in populi ad custodiendum suscepti vigilantia ac sedium suarum tenaci stabilitate evidentissime praecipiat, ferventissime Dei legatione fungentes monemus, ut sedes, quae vestra discordia ulterius nec nominanda sine sacro episcopali ministerio et sine episcopis vidiuatae manent, submota funditus peste Symoniace haereseos, sine dilatione

iuxta auctoritatem canonicam aut Episcopos a Deo datos et a vobis regulariter designatos et gratia sancti Spiritus consecratos accipient aut, quae suis episcopis quacunque occasione privatae sunt, canonice eos sine aliqua excusatione aut tarditate recipient.

## Nr. 41.

*Betonung des Dualismus.*

a) Die Bischöfe an Ludwig den Frommen 829 c. 3.

MG. Capitul. II 29.

Quod eiusdem ecclesiae corpus in duabus principaliter dividatur eximiis personis. Principaliter itaque totius sanctae Dei ecclesiae corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet et regalem, sicut a sanctis patribus traditum accepimus, divisum esse novimus; de qua re Gelasius Romanae sedis venerabilis episcopus ad Anastasium imperatorem ita scribit:<sup>1</sup> „Duae sunt quippe, inquit, auctoritas sacrata pontificum et regalis potestas; in quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem.“ Fulgentius quoque in libro de veritate predestinationis et gratiae ita scribit: „Quantum pertinet, inquit, ad huius temporis vitam, in ecclesia nemo pontifice potior, et in saeculo christiano nemo imperatore celsior invenitur.“

b) Nikolaus I. an Kaiser Michael 855.

Ep. 86 ed. Migne PL. 119., 960.

Fuerunt haec ante adventum Christi, ut quidam typice reges simul et sacerdotes existerent: quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia: quodque in membris suis diabolus imitatus, ut pote qui semper quae divino cultui convenient, sibimet tyrannico spiritu vindicare contendit, ut pagani imperatores iidem et maximi pontifices dicerentur. Sed cum ad verum (sc. Christum) ventum est, eundem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator iura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorum usurpavit. Quoniam idem mediator Dei et hominum homo

<sup>1</sup> Thiel, Epist. Rom. pont. I 349.

Christus Jesus sic actibus propriis, et dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi, ut et Christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur: quatenus spiritualis actio carnalibus distaret incurvis. Et ideo militans Deo minime se negotiis saecularibus implicaret (II. Tim. 11), ac vicissim non ille rebus divinis praesidere videretur, qui esset negotiis saecularibus implicatus, ut et modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, et competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Quibus omnibus rite collectis, satis evidenter ostenditur a saeculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse pontificem, quem constat a pio principe Constantino . . . Deum appellatum, nec posse Deum ab hominibus iudicari, manifestum est.

## Nr. 42.

*Überordnung der Bischöfe über den König.*

a) Die Bischöfe an Ludwig den Frommen 829 pet. 2.

MG. Capitul. II 35.

Illud etiam ad exemplum reducendum est, quod in Ecclesiastica historia Constantinus imperator episopis ait: „Deus, inquit, constituit vos sacerdotes et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, et ideo nos a vobis recte iudicamur; vos autem non potestis ab hominibus iudicari; propter quod Dei solius inter vos expectate iuditium, ut vestra iurgia, quaecumque sunt, ad illud divinum reserverentur examen. Vos etenim nobis a Deo dati estis Dei, et conveniens non est, ut homo iudicet deos, sed ille solus, de quo scriptum est (Ps. 82, 1): Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem Deus diiudicat“ . . . Licet enim sanctorum precedentium sacerdotum vita et meritis longe inferiores simus, id tamen sacrum ministerium, quod indigni suscepimus, non minoris auctoritatis et dignitatis existit, et quamquam tanto ministerio indigni simus, propter illum tamen, cuius ministerium gerimus, in nobis non contemptendum est.

b) Kirchenbuße Kaiser Ludwigs des Frommen 833.

Bericht der Bischöfe Oktober 833.

MG. Capitul. II 55.

Igitur pro his vel in his omnibus, quae supra memorata sunt, (Ludovicus) reum se coram Deo et coram sacerdotibus vel omni populo cum lacrymis confessus et in cunctis se deliquisse protestatus est et poenitentiam publicam expetit, quatinus ecclesiae, quam peccando scandalizaverat, poenitendo satisfaceret, et sicut fuerat scandalum multa negligendo, ita nimirum se velle professus est esse exemplum dignam poenitentiam subeundo. Post hanc vero confessionem cartulam suorum reatum et confessionis ob futuram memoriam sacerdotibus tradidit, quam ipsi super altare posuerunt; ac deinde cingulum militae depositum et super altare collocavit et habitu saeculi se exuens habitum poenitentis per impositionem manuum episcoporum suscepit: ut post tantam talemque poenitentiam nemo ultra ad militiam saecularem redeat.

c) Synode zu Savonières 14. Juni 859 c. 2.

MG. Capitul. II 447.

Episcopi namque secundum illorum ministerium ac sacram auctoritatem uniti sint et mutuo consilio atque auxilio reges regnorumque primores atque populum sibi commissum in Domino regant et corrigant; et nemo se a solatio mutuo subtrahat, sed synodales conventus secundum iussionem canonicam frequentare procurent, quatenus ordo ecclesiasticus, qui quasi oblitteratus iam fuerat, quoniam synodi propter discordiam regum frequentari non poterant, episcopali collatione ad necessarium ac debitum statum reduci praevaleat. Unde etiam consensum apud reges expetitum obtinuerunt.

d) Nikolaus I. an Bischof Adventius von Metz 864.

Ep. 68 ed. Migne PL 119., 888.

Illud vero quod dicitis, regibus et principibus vos esse subiectos, eo quod dicat apostolus: „Sive regi tamquam praecellenti“ (1. Petr. 3) placet. Verumtamen videte, utrum reges isti, et principes quibus vos subiectos esse dicitis, veraciter reges et principes sint. Videte si primum se bene regunt, deinde subditum populum: nam qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? Videte si iure principantur: alioqui potius tyranni credendi sunt, quam reges

habendi; quibus magis resistere, et ex adverso ascendere, quam subdi debemus. Alioquin si talibus subditi, et non praelati fuerimus nos, necesse est eorum vitiis faveamus. Ergo regi, quasi praecellenti, virtutibus scilicet, et non vitiis, subditi estote; sed sicut Apostolus ait, propter Deum et non contra Deum.

e) Hinkmar, De divortio Lotharii regis et Tetbergae reginae, qu. 6.

Migne PL 125., 756.

Dicunt quoque etiam aliqui sapientes, quia iste princeps rex est, et nullorum legibus vel iudiciis subiacet, nisi solius Dei, qui eum in regno, quod suus pater illi dimisit, regem constituit, et si voluerit pro hac vel alia causa ibit ad placitum, vel ad synodum, et si noluerit, libere et licenter dimittet: et sicut a suis episcopis, quidquid egerit, non debet excommunicari, ita ab aliis episcopis non potest iudicari, quoniam solius Dei principati debet subiici, a quo solo potuit in principatu constitui: et quod facit, et qualis est in regimine, divino sit nutu, sicut scriptum est: Cor regis in manu Dei quocunque voluerit vertet illud (Prov. XXI, 1).

Responsio: Haec vox non est catholici Christiani, sed nimium blasphemii, et spiritu diabolico pleni. David rex et propheta peccans, etiam a minore suo Nathan increpatus audivit quoniam vir mortis erat, et per validissimam poenitentiam est salvatus (II. Reg. XII). Saul a Samuele percepit quia de regno esset deiectus (I. Reg. XIII et XV). Roboam a propheta aequo suscepit, quia de manu illius regnum, quod bene pater suus tenuerat, esset scindendum (III. Reg. XI). Quando peccaverunt reges, et filii Israel, et traditi sunt in manus gentium, sicut Manasses et Sedenchias, vel timuerunt a facie Domini sicut Ezechias, per prophetas vel iram a Domino suscepserunt, vel misericordiam meruerunt. Et in Deuteronomio scriptum est: Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et non lepram, et iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad iudicem qui fuerit in illo tempore, quaerensque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem, et facies quocunque dixerint qui praesunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te iuxta legem eius, sequeris sententiam eorum,

nec declinabis ad dexteram vel ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto iudicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia (Deut. XVII, 8—13). Per sacerdotes enim dicit Dominus: Et nunc, reges, intelligite; eruditimi, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta (Psal. II, 10, 11, 12). Et apostolica auctoritas commonet, ut et reges etiam obediant praepositis suis in Domino, qui pro animabus eorum invigilant, ut non cum tristitia hoc faciant (Heb. XIII). Et beatus Gelasius papa ad Anastasium imperatorem scribit (epist. 10): „Quia duae sunt personae, quibus principaliter hic regitur mundus, scilicet pontificalis auctoritas, et regia dignitas, et tanto maius est pondus pontificum, quanto de ipsis etiam regibus reddituri sunt Domino rationem.“ Ambrosius Theodosium imperatorem ab ecclesia culpis exigentibus segregavit, et per poenitentiam revocavit. Nostra aetate pium Augustum Ludovicum a regno deiectum, post satisfactionem episcopalnis unanimitas, saniore consilio, cum populi consensu, et Ecclesiae et regno restituit. Quod dicitur, quia rex nullorum legibus vel iudiciis subiacet, nisi solius Dei, verum dicitur, si rex est sicuti nominatur. Rex enim a regendo dicitur, et si seipsum secundum voluntatem Dei regit, et bonos in viam rectam dirigit, malos autem de via prava ad rectam corrigit, tunc rex est, et nullorum legibus vel iudiciis nisi solius Dei subiacet: quoniam arbitria possunt dici, leges autem non sunt, nisi illae quae Dei sunt per quem reges regnant, et conditores legum iusta decernunt. Et quiunque rex veraciter rex est, legi non subiacet, quia lex non est posita iusto, sed iniustis, et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis, contaminatis, parricidis, et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, et si quid aliud sanae doctrinae adversatur, et his qui operibus carnis serviunt, de quibus dicit Apostolus: „Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, beneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, invidiae, homicidia, ebrietates, comesationes, et his similia, quae praedico vobis, sicut praedixi,

quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur (Gal. V, 19, 20, 21). Qui autem se et alios secundum fructus Spiritus regit, qui sunt charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, legi non subiacet, quia adversus huiusmodi non est lex (ibid., 22—23). Sed solo iudicio Christi subiacet, a quo et remunerabitur cuius est qui carnem suam crucifigit cum vitiis et concupiscentiis. Alioquin adulter, homicidia, iniustus, raptor, et aliorum vitorum obnoxius quilibet, vel secrete, vel publice iudicabitur a sacerdotibus, qui sunt throni Dei, in quibus Deus sedet, et per quos sua decernit iudicia, quibus et in apostolis suis, quorum locum in Ecclesia tenent, Dominus dixit: Si peccaverit frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Si te non audierit, adhibe unum vel duos: quod si nec te audierit, dic Ecclesiae. Quod si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus (Matth. XVIII, 15, 16). Et ne quis in hoc sacerdotem parvipendat adiunxit Dominus: Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo (ibid., 18). Et item dicit: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit (Luc. X, 16). Quod dicitur, quia a solo Deo in regno, quod pater suus illi dimisit, constitui potuit: sciant qui hoc dicunt, quia quidam a Deo in principatu constituuntur, ut Moyses, Samuel, et Iosias, de quo scriptum est antequam nasceretur, Ecce filius nascetur domui David, Iosias nomine (III. Reg. XIII, 2), et reliqua quae ibi sequuntur. Quidam vero a Deo per hominem, ut Iosue, et David. Quidam autem per hominem, non sine nutu divino, quia nihil fit, ut Augustinus dicit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit, et quidquid agitur, ministerio angelorum et hominum agitur, ut Salomon iussu patris David per Sadoch sacerdotem, et Nathan prophetam (III. Reg. I). Et multi civium vel militum fulti auxilio reges constituuntur vel deiiciuntur de principatu, et etiam sancti, sicut Samuel (I. Reg. VIII). Successione etiam paterna quidam regant, sicut de his omnibus in historiis et chronicis, et etiam in libro, qui inscribitur Vita Caesarum, invenitur. Quidam siquidem tyrannica usurpatione obtinent principatum, propter sua complenda, vel populi ulciscenda peccatum, de quibus scriptum est, ipsi regnaverunt, et non ex me, principes extiterunt, et non cognovi

(Ose. VIII, 4). Et item: Qui facit regnare hypocritam propter peccata populi (Iob. XXXIV, 30). Quod tale est sicut et necesse est ut veniant scandala, vae autem homini per quem scandalum venit: quia vae illi est, ut quod fiendum est, talem se suo vitio efficit, ut per illum quod ad vae pertinet exsequatur. Quod de regno dicitur, quia pater suus ei illud dimisit, veteri hinc potius rex iste debet divina, et verecundari humana iudicia, quam de regni adeptione forte gloriari, si tamen patris bonos mores, et sanctam vitam, et aequum ac iustum regimem imitatus non fuerit, vel si, quod absit, illius pravos mores, aut iniustam vitam, quam illum habuisse non dicimus, sive indignum regimen sequi delegerit. Quid enim filios Samuels necessitudo iuvit parentis, cuius non fuerunt virtutis haeredes? Quid etiam Moysi liberis paterna profuit cura iustitiae, cuius eos imitatio non successit? Itaque neque ad illos patris potestas quasi ex successione defertur, qui illum vocabulo tantum signabant parentem, et ad eum migravit qui illius erat filius virtute non genere, quod et iste debet timere. E regione vero quid Timotheo nocuisse creditur quod fuerit patre gentili? Siquidem et sanctus Abraham impium habuit patrem, neque tamen haeres illius impietatis effectus est. Et Ezechias profanissimi Achaz filius fuit, sed Dei amicus esse promeruit. Quid autem e diverso Noe filius de patris virtute lucratus est, qui ex ingenuo factus est servus? Et Ioseph in media quondam servivit Aegypto, sed gloriosam sibi texuit castitatis coronam. Et tres pueri et Daniel in Babylone fuerunt principibus celsiores. Videmus certe quam non sufficiat ad suffragium liberis paterna nobilitas. Vitia siquidem vice-runt naturae privilegia, et peccantem non modo de nobilitate patris, verum de ipsa etiam libertate pepulerunt. Esau quoque nonne sancti Isaac erat filius, magno etiam patris favore munitus? Qui licet studeret atque cuperet nempe ei benedictionem donare, propter quod etiam ille omnia patris iussa faciebat, sed tamen quia pravis moribus erat, nihil ex his omnibus prorsus adiutus est, sed iuxta naturae ordinem prior, et de patris voluntate securior, quia tamen displicebat Deo, omnia quae iam tenere videbatur amisit. Quae omnis rex, sed et iste attendat, et non omnia quae ei libent libenter faciat, quia non omnia quae licent expediunt. Et iuxta quod scriptum est, Magnates humiliet caput suum in honore Regis regum, cuius est regnum, et

per quem reges regnant (Eccli. IV; Prov. VIII): qui dicit, Honorantes me honorificabo, et hi qui contemnunt me erunt ignobiles (I. Reg. II, 30). Et sacerdotibus suis dicit: Qui vos recipit me recipit, et qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit (Luc. IX. et X). Exemplum denique Scripturae, Cor regis in manu Dei, quocunque voluerit vertet illud (Prov. XXI, 1) ad confirmandum quia quod facit et qualis in regimine populi, nutu divino fiat, male, sicut et diabolus abusus est ad Salvatorem, Angelis suis mandavit de te (Matth. IV, 6), interpretatus est iste illius discipulus. Caeterum cor regis in manu Dei est, quia, sicut supra ostendimus, ille veraciter rex est, qui se suasque cogitationes, verba, et actus sub divino rexerit nutu. Et cor illius in manu est Dei, ut in hac convalle lacrymarum ascensus disponat in corde suo, ambulans de virtute in virtutem, donec videatur Deus in Sion, id est in aeternae felicitatis et divinae visionis contemplatione. Econtra autem, cor eius, qui sessore diabolo male regitur, in illius est potestate: adeo ut si aliquid de mandatis Dei audierit, veniens ipse diabolus tollat verbum de corde eius, ne credens, vel in his quae crediderat operando perseverans, salvus fieri valeat: et sic traditus in reprobum sensum facit quae non convenient, quia cum cognoverit Deum, non sicut Deum dignis obsequiis honoravit. De eo, quod dicitur, Quia rex, si noluerit venire ad synodum, libere etiam compellatus dimittet: sancta Scriptura, sacri-que canones monstrant, in iudicio personam non debere accipere, sed causae qualitatem discernere. Et Hubertus, postquam certo crimine in sororem suam perpetrato denotatus, et litteris synodalibus ad synodum exstitit provocatus, iam in tribus synodis per legatos et litteras ad rationem reddendam, tantum ut cum servandae sibi aequitatis securitate venire valeret, suam praesentiam obtulit, et causidicus ac reputator criminis toties defuit, aut libertatem reddendae rationis negavit. Unde Bonifacius papa ad Gallicanos scribit epist. 11): „Probat, inquiens, vera esse illa quae adversum se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minime vult. Et nullus dubitat, quod ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quaerit. Confitetur enim de omnibus quisque subterfugere iudicium dilationibus putat (ibid.): Unde congregari decrevimus synodum, ut si adesse voluerit, praesens si confidit ad obiecta respondeat, si

adesse neglexerit dilationem sententiae non lucretur. Nihil enim interest, utrum in praesenti examine omnia quae dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constat absentia."

Nr. 43.

*Angilram, Pseudoisidor, Benedikt Levita.*

a) Capitula Angilramni.

Ed. P. Hinschius, *Decretales Pseudoisidoriana* 757 ff.

c. 36. Constitutiones contra canones et decreta prae-sulum Romanorum vel bonos mores nullius sunt momenti.

c. 51. De accusationibus episcoporum Constantinus imperator inter caetera sic ait: Vestrae quidem accusationes, inquit, tempus habebunt proprium, id est diem magni indicii, iudicem vero illum qui tunc futurus est omnibus iudicare. Mihi ergo homini constituto de huiusmodi rebus non licet habere auditorium, sacerdotum scilicet accusantium et simul accusatorum. Quos minime convenit tales debere monstrare, qui iudicentur ab aliis, cum ab ipso domino magis ipsi sint iudicandi, de quibus ait propheta: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit: neque possunt humano condemnari examine quos deus suo reservabit iudicio, et reliqua talia et his similia.

Neque praesul summus a quoquam indicabitur, quia dicente domino non est discipulus super magistrum.

c. 16 add. Non licet imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra mandata divina praesumere.

c. 20 add. Item generali decreto constituimus, ut exēcrandum anathema et velut praevericator catholicae fidei apud dominum reus existat, quicumque regum vel potentum deinceps canonum censuram in quocumque crediderit vel permiserit violandum.

b) Pseudoisidor.

Ps. Clemens Ep. I c. 39 ed. Hinschius 43.

Ad glorificandum se et divina mandata seminanda et evangelizanda eos (episcopos) dominus elegit, et non ut prohibeantur aut perturbentur agebat, quoniam qui eos laedit, eum laedit cuius legatione funguntur. Praedicare

eos assidue et mandata domini sine intermissione annuntiare rogabat. Opera eorum bona coram hominibus monstrare et conscientiam bonam coram deo habere insinuabat. Omnes principes terrae et cunctos homines eis oboedire et capita sua submittere eorumque adiutores existere praecepiebat, ut omnes pariter fideles et cooperatores legis dei monstrarentur, ne de eis dicatur: Confundentur et erubescant omnes qui pugnant adversum te, et erunt quasi non sint et peribunt viri qui contradicunt tibi. Queres eos et non invenies viros rebelles tuos; erunt quasi non sint et veluti consumptio hominis bellantis adversum te. Omnis ergo, qui eis contradicent, ita damnatos et infames usque ad satisfactionem monstrabat, et nisi converterentur a liminibus ecclesiae alienos esse praecipiebat.

Ps. Marcellinus Ep. II c. 4 ed. Hinschius 222.

Non licet ergo imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra mandata divina praesumere nec quicquam quod evangelicis propheticisque et apostolicis regulis obviatur agere. Iniustum enim iuditium et definitio iniusta regis metu vel iussu a iudicibus ordinata non valeat, nec quicquam quod contra evangelicae vel propheticae aut apostolicae doctrinae constitutionem successorum patrum actum fuerit, stabit. Et quod ab infidelibus aut haereticis factum fuerit omnino cassabitur.

Ps. Melchiades Ep. II c. 10 und 11 ed. Hinschius 248.

(c. 10.) E quibus (principibus) vir religiosissimus, Constantinus primus, fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per universum orbem suo degentes imperio non solum fieri christianos, sed etiam fabricandas ecclesias et predia tribuenda constituit. Denique idem prefatus princeps donaria immensa et fabricam templi primae sedis beati Petri principis apostolorum instituit, adeo ut sedem imperiale, quam Romani principes praesiderant, relinquaret et beato Petro suisque praesulibus profutura accederent. (c. 11.) Idem vero praesidens sancta synodo, qui apud Niceam congregata est, cum querelam quorumdam conspiceret coram se dilatarum, ait: Vos a nemine diiudicare potestis, quia solius dei iuditium reservamini, dii enim vocati estis. Idecirco non potestis ab hominibus iudicari.

c) Benedict Levita.

MG. Leges II Anhang S. 17 ff.

I 22. Quod non oporteat sacerdotes vel clericos habentes adversus invicem negotia proprium episcopum relinquare et ad secularia iudicia convolare.

I 390. Sanctum est, ut nullus episcopum aut sacerdotem vel clericum apud iudices publicos accusare praesumat, sed apud episcopos.

I 315. Praecipimus atque iubemus, ne forte, quod absit, aliquis circa episcopos leviter aut graviter agat: quod ad periculum totius imperii nostri pertinet. Et ut omnes cognoscant nomen, potestatem, vigorem et dignitatem sacerdotalem: quod ex verbis Domini facile intelligi potest, quibus beato Petro, cuius vicem episcopi gerunt, ait: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in celo; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in celo. Et alibi discipulis generaliter dicit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Illud etiam ad exemplum reducendum est quod in ecclesiastica historia Constantinus imperator episcopis ait: „Deus, inquit, constituit vos sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et ideo nos a vobis recte iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, ut vestra iurgia, quaecumque sint, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis a Deo dati estis dii. Et conveniens non est, ut homo iudicet deos, sed ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga deorum. In medio Deus autem deos discernit.“

III 78. Qualiter episcopi provehantur. Episcopi iudicio metropolitanorum et eorum episcoporum qui circum circa sunt, provehantur ad ecclesiasticam potestatem.

II 89. Praecipimus, ut nullus laicorum vel clericorum ex prediis vel rebus, quae ad sedes pertinent episcoporum, sive de illis ecclesiarum rebus, quae in eorum parochiis sitae esse noscuntur, sine illorum iussione aut consensu episcoporum, ad quorum pertinent curam, quicquam ambient, concupiscant atque accipient; ne cupidus sanctarum rerum ignis qui in eis est, illos faviliosius exurat. Similiter omnes monemus, ut a cuncta ecclesiarum omnium vastatione coercere se suosque ac compescere totis viribus

studeant. Nam devastantes ecclesias quid aliud intelligimus quam contra illum aeterni imperii Deum et maiestatis homines movere certamen, cum illae aedes illi die nocturnaque famulenter et illi sint consecratae? Videant vastantes, pronuntiamus, ne ab illo, si se commoveat, vastentur, cuius percussionem montium dorsa ferre non possunt.

#### Nr. 44.

##### *Gregorianische Grundsätze.*

a) Absetzung und Exkommunikation Heinrichs IV.  
durch Gregor VII. 14/22. Februar 1076.

Jaffé, Bibl. rer. Germ. II 223.

Beate Petre apostolorum princeps, inclina, quaeso, pias aures tuas nobis et audi me servum tuum, quem ab infantia nutristi et usque ad hunc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt et odiunt. Tu michi testis es et domina mea mater Dei et beatus Paulus frater tuus inter omnes sanctos: quod tua sancta Romana ecclesia me invitum ad sua gubernacula traxit, et ego non rapinam arbitratus sum ad sedem tuam ascendere, potiusque volui vitam meam in peregrinatione finire, quam locum tuum pro gloria mundi saeculari ingenio arripere. Et ideo ex tua gratia non ex meis operibus credo quod tibi placuit et placet: ut populus christianus, tibi specialiter commissus, mihi oboediatur. Specialiter pro vice tua michi commissa et michi tua gratia est potestas a Deo data ligandi atque solvendi in celo et in terra. Hac itaque fiducia fretus, pro ecclesiae tuae honore et defensione, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti per tuam potestatem et auctoritatem Heinrico regi, filio Heinrici imperatoris, qui contra tuam ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorum et Italiae gubernacula contradico; et omnes christianos a vinculo iuramenti, quod sibi fecerunt vel facient, abservo; et, ut nullus ei sicut regi serviat, interdico. Dignum est enim, ut, qui studet honorem ecclesiae tuae imminuere, ipse honorem amittat, quem videatur habere. Et quia sicut christianus contempsit obedire nec ad Dominum redit quem dimisit --- participando excommunicatis; et multas iniquitates faciendo; meaque monita, quae pro sua salute sibi misi te teste, sperrnendo; seque ab ecclesia tua, temptans eam scindere, separando

— vinculo eum anathematis vice tua alligo. Et sic eum ex fiducia tua alligo: ut sciant gentes et comprobent, quia tu es Petrus et super tuam petram filius Dei vivi aedificavit ecclesiam suam et porte inferi non praevalebunt adversus eam.

Heinrichs IV. Schreiben vom 27. März 1076 an Gregor VII.

MG. Const. I 110.

Heinricus non usurpativus, sed pia Dei ordinatione rex Hildebrando iam non apostolico, sed falso monacho.

Hanc talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui nullum in ecclesia ordinem praeteristi quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis participem non feceris. Ut enim de multis pauca et egregia loquamur, rectores sanctae ecclesiae, videlicet archiepiscopos, episcopos, presbiteros, non modo non tangere, sicut christos Domini, timuisti, quin sicut servos, nescientes quid faciat dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti. In quorum conculcatione tibi favorem ab ore vulgi comparasti. Quos omnes nichil scire, te autem solum omnia nosse iudicasti, qua utique scientia non ad aedificationem, sed ad destructionem uti studuisti; ut iure hoc beatum Gregorium, cuius nomen tibi usurpasti, de te prophetasse eradamus sic dicentem: „Ex afflentia subiectorum plerumque animus praelati extollitur et aestimat se plus omnibus nosse, cum se videt plus omnibus posse.“ Et nos quidem haec omnia sustinuimus, dum apostolicae sedis honorem servare studuimus. Sed tu humilitatem nostram timorem fore intellexisti ideoque et in ipsam regiam potestatem nobis a Deo concessam exurgere non timuisti, quam te nobis auferre ausus es minari: quasi nos a te regnum acceperimus, quasi in tua et non in Dei manu sit vel regnum vel imperium. Qui dominus noster Iesus Christus nos ad regnum, te autem non vocavit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti: scilicet astutia, quod monachica abhominatur professio, pecuniam, pecunia favorem, favore ferrum, ferro sedem pacis adisti, et de sede pacis pacem turbasti, dum subditos in praelatos armasti, dum episcopos nostros a Deo vocatos tu non vocatus spernendos docuisti, dum laicis ministerium eorum super sacerdotes usurpasti, ut ipsi deponant vel condempnent quos ipsi a manu Dei per impositionem manuum episcopalium docendi acceperant. Me quoque, qui licet indignus inter christos ad regnum sum unctus, tetigisti, quem sanctorum patrum traditio soli Deo iudicandum docuit nec pro aliquo crimine, nisi a fide quod absit exorbitaverim, deponendum asseruit; cum etiam Julianum apostamatam prudentia sanctorum patrum non sibi sed soli Deo iudicandum deponendumque commiserit. Ipse quoque verus papa beatus Petrus clamat: „Deum timete, regem honorificate.“ Tu autem, qui Deum non times, in me constitutum eius inhonoras. Unde beatus Paulus, ubi angelo de caelo, alia si praedicaverit, non percpercit, te quoque in terris alia praedicantem non excepit. Ait enim: „Si quis vel ego vel angelus e caelo praeter id quod euangelizavimus vobis euangelizaverit, anathema sit.“ Tu ergo hoc anathemate et omnium episcoporum nostrorum iudicio

et nostro dampnatus descendere, vendicatam sedem apostolicam relinque; aliis in solium beati Petri ascendat, qui nulla violenti religione palliet, sed beati Petri sanam doceat doctrinam. Ego Heinricus Dei gratia rex cum omnibus episcopis nostris tibi dicimus: Descende, descendere, per secula dampnande!

b) Heinrichs IV. Versprechen von Canossa 28. Januar 1077.<sup>1</sup>

MG. Const. I 115.

Ego rex Heinricus de murmuratione et dissensione, quam nunc habent contra me archiepiscopi et episcopi, abbates, duces et comites ceterique principes regni Teutonicorum et alii qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur, infra terminum, quem dominus papa Gregorius constituerit, aut iustitiam secundum iudicium eius aut concordiam secundum consilium eius faciam, nisi certum impeditum mihi vel sibi obstiterit; quo transacto, ad peragendum idem paratus ero. Item si idem dominus papa Gregorius ultra montes seu ad alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mei parte et eorum, quos constringere potero, ab omni laesione vitae et membrorum eius seu captione — tam ipse quam qui in eius conductu vel comitatu fuerint seu qui ab illo mittentur vel ad eum de quibuscunque terrarum partibus venerint — in eundo et redeundo vel alicubi morando. Neque aliud aliquod

<sup>1</sup> Bericht über die Kirchenbuße Heinrichs IV. in Kanossa.

Schreiben Gregors VII. an die deutschen Fürsten Registr. IV 12, 12a bei Jaffé, Bibl. rer. Germ. II 256 ff.

Qui (Henricus) etiam, priusquam intrasset Italiam, supplices ad nos legatos praemittens, per omnia se satisfacturum Deo et sancto Petro ac nobis, obtulit; et, ad emendationem vitae suae omnem se servaturum oboedientiam, reprobavit; dummodo apud nos absolutionis et apostolicae benedictionis gratiam impetrare mereretur. Quod cum diu multis consultationibus differentes, acriter eum de suis excessibus per omnes qui intercurrebant nuncios redargueremus; tandem per semet ipsum, nichil hostile aut temerarium ostentans, ad oppidum Canusii, in quo morati sumus, cum paucis advenit. Ibique per triduum ante portam castri, deposito omne regio cultu, miserabiliter, utpote discalciatus et laneis induitus, persistens, non prius cum multo fletu apostolicae miserationis auxilium et consolationem implorare destitit, quam omnes, qui ibi aderant et ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem et compassionis misericordiam movit: ut, pro eo multis precibus et lacrimis intercedentes, omnes quidem insolitam nostrae mentis duritiam mirarentur, nonnulli vero, in nobis non apostolicae severitatis gravitatem sed quasi tyrrannicae feritatis crudelitatem esse, clamarent. Denique instantia compunctionis eius et tanta omnium qui ibi aderant supplicatione devicti, tandem eum, relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam et sinum sanctae matris ecclesiae receptimus; acceptis ab eo securitatibus, quae inferius scriptae sunt.

impedimentum habebit ex meo consensu, quod contra honorem suum sit; et si quis ei fecerit, cum bona fide secundum meum posse illum adiuvabo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta euangelia.

Actum Canusie V. Kalendas Februarii, indictione XV, anno domini nostri Iesu Christi MLXXVII, praesentibus episcopis Umberto Praenestino, Giraldo Ostiensi, cardinalibus Romanis Petro tituli Sancti Chrisogoni et Conone tituli Sanctae Anastasie et Romanis diaconibus Gregorio et Benardo et subdiacono Umberto. Item ex parte regis interfuerunt Bremensis archiepiscopus et episcopi Vercellensis et Osnabrugensis et abbas Cluniacensis et multi nobiles viri.

c) Zweite Exkommunikation und Absetzung Heinrichs IV.  
durch Gregor VII. auf der römischen Synode am 7. März 1080.

MG. Const. I 557.

cap. 7. . . Predictus autem Heinricus cum suis fautoribus non timens periculum inoboedientiae, quod est scelus idolatriae, colloquium impediendo excommunicationem incurrit et se ipsum anathematis vinculo alligavit magnamque multitudinem christianorum morti tradi et ecclesias fecit dissipari et totum paene Teutonicorum regnum desolationi dedit. Quapropter confidens de iudicio et misericordia Dei eiusque piissime matris semper virginis Mariae, fultus vestra auctoritate, saepe nominatum Heinricum, quem regem dicunt, omnesque fautores eius excommunicationi subicio et anathematis vinculis alligo. Et iterum regnum Teutonicorum et Italiae ex parte omnipotentis Dei et vestra interdicere ei, omnem potestatem et dignitatem illi regiam tollo et, ut nullus christianorum ei sicut regi oboediat, interdico omnesque, qui ei iuraverunt vel iurabunt de regni dominatione, a iuramenti promissione absolvo. Ipse autem Heinricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires nullamque in vita sua victoriam optineat. Ut autem Rodulfus regnum Teutonicorum regat et defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in regem, ad vestram fidelitatem ex parte vestra dono, largior et concedo; omnibus sibi fideliter adhaerentibus absolutionem omnium peccatorum vestramque benedictionem in hac vita et in futura, vestra fretus fiducia largior. Sicut enim Heinricus pro sua superbia, inoboedientia et falsitate a regni dignitate iuste abicitur, ita Rodulfo pro

sua humilitate, oboedientia et veritate potestas et dignitas regni conceditur.

Agite nunc queso, patres et principes sanctissimi, ut omnis mundus intelligat et cognoscat, quia, si potestis in coelo ligare et solvere, potestis in terra imperia, regna, principatus, ducatus, marchias, comitatus et omnium hominum possessiones pro meritis tollere unicuique et concedere. Vos enim patriarchatus, primatus, archiepiscopatus, episcopatus frequenter tulistis pravis et indignis et religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia iudicatis, quid de saecularibus vos posse credendum est! Et si angelos dominantes omnibus superbis principibus iudicabitis, quid de illorum servis facere potestis! Addiscant nunc reges et omnes saeculi principes, quanti vos estis, quid potestis; et timeant parvipendere iussionem ecclesiae vestrae. Et in praedicto Heinrico tam cito iudicium vestrum exercete, ut omnes scient, quia non fortuit sed vestra potestate cadet. Confundetur; utinam ad penitentiam, ut spiritus sit salvus in die Domini.

d) Brief Gregors VII. an Bischof Hermann von Metz v. 15. März 1081.  
Gregorii VII. Registrum VIII, 21 bei Jaffé, Bibl. rer. Germ. II 453.

— — Quod autem postulasti, te quasi nostris scriptis iuvari ac praemuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt: auctoritatem sanctae et apostolicae sedis non potuisse regem Henricum, hominem christiana legis contemptorem, ecclesiarum videlicet, et imperii destructorem atque haereticorum auctorem et consentaneum, excommunicare, nec quemquam a sacramento fidelitatis eius absolvere, non adeo necessarium nobis videtur; cum huius rei tam multa ac certissima documenta in sacrarum scripturarum paginis reperiantur. Neque enim credimus, eos, qui ad cumulum suae damnationis veritati impudenter detrahunt et contradicunt, haec ad suae defensionis audaciam tam ignorantia, quam miserae desperationis vecordia, coaptasse. Nec mirum. Mos est enim reproborum, ob suae nequitiae protectionem niti, consimiles sibi defendere; quia pro nihilo habent, mendacii perditionem incurriere.

Nam, ut de multis pauca dicamus, quis ignorat vocem domini ac salvatoris nostri Iesu Christi dicentis in euangelio: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni coelorum; et quodcumque

ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis?" Nunquid sunt hic reges excepti? aut non sunt de ovibus, quas filius dei beato Petro commisit? Quis, rogo, in hac universalis concessionē ligandi atque solvendi a potestate Petri se exclusum esse existimat, nisi forte infelix ille, qui, iugum domini portare nolens, diaboli se subicit oneri, et in numero ovium Christi esse recusat? Cui tamen hoc ad miseram libertatem minime proficit, quod potestatem Petri, divinitus sibi concessam, a superba cervice excutit; quantum, quanto eam quisque per elationem ferre abnegat, tanto durius ad damnationem suam in iudicio portat.

Hanc itaque divinae voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis ecclesiae, hoc privilegium, beato Petro apostolorum principi coelesti decreto principaliter traditum atque firmatum, sancti patres cum magna veneratione suscientes atque servantes, sanctam Romanam ecclesiam tam in generalibus conciliis quam etiam in ceteris scriptis et gestis suis universalem matrem appellaverunt. Et sicut eius documenta in confirmatione fidei et eruditione sacrae religionis, ita etiam iudicia suscepserunt; in hoc consentientes et quasi uno spiritu et una voce concordantes: omnes maiores res et praecipua negotia nec non omnium ecclesiarum iudicia ad eam quasi ad matrem et caput debere referri; ab ea nusquam appellari, iudicia eius a nemine retractari aut refelli debere vel posse. Unde beatus Gelasius papa Anastasio imperatori scribens, divina fultus auctoritate, quid et qualiter de principatu sanctae et apostolicae sedis sentire deberet, hoc modo eum instruxit: „Etsi, inquit, cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenientia colla submitti, quanto potius sedis illius praesuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit praeminere, et subsequens ecclesiae generalis iugiter pietas celebravit. Ubi prudentia tua evidenter advertit, nunquam quolibet penitus humano consilio aequare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni, quem Christi vox praetulit universis, quem ecclesia veneranda confessa semper est et habet devota primatem.“ Item Iulius papa, orientalibus episcopis scribens, de potestate eiusdem sanctae et apostolicae sedis ait: „Decuerat vos, fratres, adversus sanctam Romanam

<sup>1</sup> Ps. Iulius ed. Hinschius, Decretales Pseudoisidorianaæ p. 464.

et apostolicam ecclesiam limate et non yronice loqui; quoniam et ipse dominus noster Jesus Christus, eam decenter allocutus, ait: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni coelorum.“ Habet enim potestatem singulari privilegio concessam, aperiare et claudere ianuas regni coelestis, quibus voluerit.“ Cui ergo aperiendi claudendique coeli data potestas est, de terra iudicare non licet? Absit. Num retinetis, quod ait beatissimus Paulus apostolus: „Nescitis, quia angelos iudicabimus? quanto magis saecularia.“ Beatus quoque Gregorius papa reges a sua dignitate cadere statuit, qui apostolicae sedis decreta violare praesumpserint, scribens ad quendam Senatorem abbatem his verbis: „Si quis vero regum sacerdotum iudicum atque saecularium personarum hanc constitutionis nostrae paginam agnoscens, contra eam venire temptaverit, potestatis honorisque sui dignitate carreat, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniuritate cognoscat; et nisi ea, quae ab illo sunt male abiata, restituerit, vel digna poenitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine domini redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat atque in aeterno examine districtae ultioni subiaceat.“

Quodsi beatus Gregorius, doctor utique mitissimus, reges, qui statuta sua super unum xenodochium violarent, non modo deponi sed etiam excommunicari atque in aeterno examine dampnari decrevit, quis nos H(enricum), non solum apostolicorum iudiciorum contemptorem verum etiam ipsius matris ecclesiae, quantum in ipso est, conculecatorem totiusque regni et ecclesiarum improbissimum praedonem et atrocissimum destructorem, deposuisse et excommunicasse reprehendat, nisi forte similis eius? Sicut beato Petro docente cognovimus in epistola de ordinatione Clementis, in qua sic ait: „Si quis amicus fuerit iis, quibus ipse“ — de eodem Clemente<sup>1</sup> dicens — „non loquitur, unus est et ipse ex illis, qui exterminare dei ecclesiam volunt; et cum corpore nobiscum esse videatur, mente et animo contra nos est, et est multo nequior hostis hic, quam illi, qui foris sunt et evidenter inimici. Hic enim per amicitiarum speciem, quae inimica sunt, gerit; et ecclesiam dispergit ac vastat.“ Nota ergo, carissime, si eum, qui amicitia vel colloquio iis, quibus papa pro actibus suis aversus est, sociatur, tam gra-

<sup>1</sup> Ps. Clemens I c. 18 ed. Hinschius, Decretales Pseudoisidorianaæ p. 36.

viter iudicat, quanta illum ipsum, cui pro actibus suis aversus est, animadversione dampnat.

Sed ut ad rem redeamus; itane dignitas, a saecularibus — etiam Deum ignorantibus — inventa, non subcietur ei dignitati, quam omnipotentis Dei providentia ad honorem suum invenit mundoque misericorditer tribuit? cuius filius — sicut deus et homo indubitanter creditur — ita summus sacerdos, caput omnium sacerdotum, ad dexteram patris sedens et pro nobis semper interpellans, habetur; qui saeculare regnum, unde filii saeculi tument, despexit et ad sacerdotium crucis spontaneus venit. Quis nesciat, reges et duces ab iis habuisse principium, qui, Deum ignorantes, superbia rapinis perfidia homicidiis, postremo universis pene sceleribus, mundi principe dialbolo videlicet agitante, super pares, scilicet homines, dominari caeca cupidine et intolerabili praesumptione affectaverunt? Qui videlicet, dum sacerdotes Domini ad vestigia sua inclinare contendunt, cui rectius comparentur quam ei, qui est caput super omnes filios superbiae? qui ipsum summum pontificem, sacerdotum caput, Altissimi filium, temptans et omnia illi mundi regna promittens, ait: „Haec omnia tibi dabo, si procedens adoraveris me?“ Quis dubitet: sacerdotes Christi regum et principum omniumque fidelium patres et magistros censer? Nonne miserabilis insaniae esse cognoscitur: si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, et inquis obligationibus illum suae potestati subicere, a quo credit non solum in terra sed etiam in coelis se ligari posse et solvi? Haec, sicut beatus Gregorius in epistola ad Mauritium imperatorem directa commemorat, Constantinus Magnus imperator, omnium regum et principum fere totius orbis dominus, evidenter intelligens, in sancta Nycena synodo post omnes episcopos ultimus residens, nullam iudicii sententiam super eos dare praesumpsit; sed illos etiam deos vocans, non suo debere subesse iudicio, verum se ad illorum pendere arbitrium iudicavit. Supra dicto quoque Anastasio imperatori praelibatus papa Gelasius persuadens, ne ille intimatam suis sensibus veritatem arbitraretur iniuriam, subintulit dicens: „Duo sunt quippe, imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata pontificum et regalis potestas; in quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem.“ Et paucis

interpositis, inquit: „Nosti itaque inter hec, ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.“

Talibus ergo institutis talibusque fulti auctoritatibus, plerique pontificum, alii reges, alii imperatores excommunicaverunt. Nam, si speciale aliquod de personis principium requiratur exemplum, beatus Innocentius papa Archadium imperatorem, quia consensit, ut sanctus Iohannes Chrisostomus a sede sua pelleretur, excommunicavit. Alius item Romanus pontifex, Zacharias videlicet, regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus quam pro eo, quod tantae potestati non erat utilis, a regno depositus; et Pipinum Caroli Magni imperatoris patrem in eius loco substituit; omnesque Francigenas a iuramento fidelitatis, quod illi fecerant, absolvit. Quod etiam ex frequenti auctoritate saepe agit sancta ecclesia, cum milites absolvit a vinculo iuramenti, quod factum est his episcopis, qui apostolica auctoritate a pontificali gradu deponuntur. Et beatus Ambrosius, licet sanctus non tamen universalis ecclesiae episcopus, pro culpa, quae ab aliis sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodosium Magnum imperatorem excommunicans ab ecclesia exclusit. Qui etiam in suis scriptis ostendit, quod aurum non tam pretiosius sit plumbo, quam regia potestate sit altior dignitas sacerdotalis, hoc modo circa principium sui pastoralis scribens: „Honor, fatres, et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adaequare. Si regum fulgori compares et principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quippe cum videoas regum colla et principum submitti genibus sacerdotum et, exosculata eorum dextera, orationibus eorum credant se communiri;“ et post pauca: „Haec cuncta, fratres, ideo nos praemisisse debetis cognoscere, ut ostenderemus: nichil esse in hoc saeculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius epis copis reperi.”

Meminisse etiam debet fraternitas tua: quia maior potestas exorcistae conceditur, cum spiritualis imperator<sup>1</sup> ad abiciendos daemones constituitur, quam alicui laicorum causa saecularis dominationis tribui possit. Omnibus nempe regibus et principibus terrae, qui religiose non vivunt et in actibus suis deum ut oportet non metuunt, daemones

<sup>1</sup> Vgl. Pontificale Romanum, de ordinatione exorcistarum: „Deum patrem deprecemur, ut hos famulos suos benedicere dignetur in officium exorcistarum, ut sint spirituales imperatores ad abiciendos daemones.“

heu proh dolor dominantur et misera eos servitute confundunt. Tales enim, non divino ducti amore sicut religiosi sacerdotes ad honorem Dei et utilitatem animarum, praecesse cupiunt; sed ut intolerabilem superbiam suam ostentant animique libidinem expleant, ceteris dominari affectant. De quibus beatus Augustinus in libro primo de doctrina christiana dicit: „Cum vero etiam eis, qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est hominibus, quilibet dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est.“ Porro exorcistae, ut diximus, super demones a deo imperium habent; quanto igitur magis super eos, qui demonibus subiecti et membra sunt demonum. Si ergo his tantum praeminent exorcistae, quanto amplius sacerdotes.

Praeterea omnis rex christianus ad exitum veniens, ut inferni carcerem evadat, ut de tenebris in lucem tendat, ut de peccatorum vinculis in Dei iudicio absolutus appareat, sacerdotis opem supplex ac miserandus requirit. Quis autem non modo sacerdotum verum etiam laicorum, in extremis positus, pro sua animae salute terreni regis imploravit auxilium? Quis vero regum vel imperatorum aliquem christianum ex imposito sibi officio valet sacrobaptismate ex diaboli potestate eripere et inter filios dei connumerare sanctoque chrismate praemunire? Et quod maximum est in christiana religione, quis eorum valet proprio ore corpus et sanguinem domini conficere? vel cui eorum data est potestas ligandi solvendique in coelo et in terra? Ex quibus aperte colligitur, quanta potestate praecellat dignitas sacerdotum. Aut quis eorum potest aliquem clericum in sancta ecclesia ordinare? quanto minus pro aliqua culpa eum deponere. Namque in ecclesiasticis ordinibus maioris est potestatis, deponere quam ordinare. Episcopi enim possunt alios episcopos ordinare, sed nullo modo sine auctoritate apostolicae sedis deponere. Quis igitur, vel tenuiter sciolas, sacerdotes dubitet regibus anteferri? Quodsi reges pro peccatis suis a sacerdotibus sunt iudicandi, a quo rectius quam a Romano pontifice iudicari debent?

Ad summam, quoslibet bonos christianos multo convenientius, quam malos principes, reges intelligi decet. Isti enim, gloriam Dei querendo, se ipsos strenue regunt; at illi, non quae Dei sunt sed sua quaerentes, sibimet hostes, alios tyrannice opprimunt. Hi veri regis Christi, illi vero diaboli corpus sunt. Isti ad hoc sibi imperant,

ut cum summo imperatore aeternaliter regnent; illorum vero id potestas agit, ut cum tenebrarum principe, qui rex est super omnes filios superbiae, aeterna dampnatione disperant.

Nec valde sane mirandum est, quod mali pontifices iniquo regi — quem, adeptis male per eum honoribus, diligunt metuuntque — consentiunt; qui, symoniace quoslibet ordinando, Deum pro vili etiam pretio vendunt. Nam, sicut electi insolubiliter suo capiti uniuntur, ita et reprobii, maxime contra bonos, ei, qui malitia caput est, pertinaciter foederantur. Contra quos profecto non tam disserendum quam pro eis est lacrimosis planetibus ingemendum: ut omnipotens Deus illos a laqueis sathanae, quibus captivi tenentur, eripiat et, vel post pericula, ad agnitionem veritatis tandem aliquando perducat.

Haec de regibus et imperatoribus, qui saeculari gloria nimium tumidi, non Deo sed sibi regnant. Sed quia nostri est officii, unicuique secundum ordinem vel dignitatem, qua videtur vigere, exortationem distribuere, imperatoribus et regibus ceterisque principibus, ut elationes maris et superbiae fluctus comprimere valeant, arma humilitatis Deo auctore providere curamus. Scimus enim: quia mundana gloria et saecularis cura eos permaxime, qui praescunt, ad elationem trahere solet; qua semper, neglecta humilitate, propriam querendo gloriam, fratribus cupiant praeminere. Proinde videtur utile maxime imperatoribus et regibus: ut, cum mens illorum se ad alta erigere et pro singulari vult gloria oblectare, inveniat, quibus se modis humiliet, atque unde gaudebat, sentiat plus timendum. Perspiciat ergo diligenter: quam periculosa quamve timenda sit imperatoria vel regia dignitas; in qua paucissimi salvantur, et illi, qui Deo miserante ad salutem veniunt, non aequa ut multi pauperum iudicio sancti spiritus in sancta ecclesia clarificantur. A mundi enim principio usque ad haec nostra tempora in tota autentica scriptura non invenimus septem imperatores vel reges, quorum vita adeo fuerit religione praecipua et virtute signorum decorata, sicut innumerabilis multitudinis saeculi contemporum; licet plures eorum credamus apud omnipotentem Deum misericordiae salutem invenisse. Namque, ut de apostolis et martyribus taceamus, quis imperatorum vel regum aequa ut beatus Martinus, Antonius et Benedictus miraculis claruit? Quis enim imperator aut rex mortuos

suscitavit, leprosos mundavit, caecos illuminavit? Ecce Constantimum piae memoriae imperatorem, Theodosium et Honorium, Carolum et Lodoicum, iustitiae amatores, christianae religionis propagatores, ecclesiarum defensores, sancta quidem ecclesia laudat et veneratur; non tamen eos fulsisse tanta miraculorum gloria indicat. Praeterea ad quot nomina regum vel imperatorum basilicas seu altaria dedicari, vel ad eorum honorem sancta ecclesia missas statuit celebrari? Timeant reges aliique principes: ne, quanto se ceteris hominibus in hac vita praeferriri gaudent, tanto amplius aeternis incendiis subiciantur. Unde scriptum est: „Potentes potenter tormenta patientur.“ De tot enim hominibus Deo reddituri sunt rationem, quot suae dominationi subditos habuerunt. Quodsi alicui religioso privato non parvus labor est, unam suam animam custodire, quantus labor imminet principibus super multis milibus animarum. Praeterea, si iudicium sanctae ecclesiae valde constringit peccatorem pro unius hominis interfectione, quod erit de iis, qui multa milia morti tradunt pro huius mundi honore? Qui, licet ore aliquando dicant: „Mea culpa!“ pro multorum occisione, tamen corde gaudent in sui quasi honoris extensione; noluntque non fecisse, quod egerunt; neque dolent, quod fratres suos in Tartarum compulerunt. Cumque ex toto corde eos non penitet neque volunt humano sanguine adquisita vel detenta omittere, illorum poenitentia apud Deum sine digno poenitentiae fructu manet. Unde profecto valde est timendum; atque ad memoriam eorum crebro revocandum: quod, sicut praefati sumus, a mundi principio paucissimi per diversa terrarum regna reges sancti ex innumerabili eorum multitudine reperiuntur; cum in una tantum pontificum seriatim succendentium sede, videlicet Romana, a tempore beati Petri apostoli ferme centum inter sanctissimos computentur. Cur autem hoc, nisi quia reges terrae et principes, vana gloria illecti, sicut praelibatum est, quae sua sunt spiritualibus rebus praeferunt; religiosi autem pontifices, vanam gloriam despicientes, quae Dei sunt carnalibus rebus praeponunt. Illi in se delinquentes facile puniunt, in Deum peccantes aequo animo ferunt; isti in se peccantibus cito ignoscunt, Deum offenditibus non leviter parcunt. Illi, terrenis actibus nimium dediti, spiritualia parvi pendunt; isti, coelestia sedulo meditantes, quae sunt terrena, contemnunt.

e) Deusdedit, Dictatus Papae.

Gregorii VII. Registr. II 55 a, Jaffé, Bibl. rer. Germ. II 174.

n. 8. Quod solus (Romanus pontifex) possit uti imperialibus insigniis. n. 9. Quod solius papae pedes omnes principes deosculentur. n. 12. Quod illi liceat imperatores deponere. n. 18. Quod sententia illius a nullo debeat retractari, et ipse omnium solus retractare possit. n. 19. Quod a nemine ipse iudicari debeat. n. 20. Quod nullus audeat condemnare apostolicam sedem appellantem. n. 26. Quod catholicus non habeatur, qui non concordat Romanae ecclesiae. n. 27. Quod a fidelitate iniquorum subiectos potest absolvere.

#### Nr. 45.

#### Die Konstantinische Schenkung (752—78).

a) Text der Urkunde.

Karl Zeumer, Der älteste Text des Constitutum Constantini, in Festgabe für Rudolf von Gneist, 1888. S. 47 ff.)

(Der erzählende Teil ist weggelassen.)

§ 11. Et dum haec praedicante beato Silvestrio agnoscere et beneficiis ipsius beati Petri integrae me sanitati comperi restitutum, utile iudicavimus una cum omnibus nostris satrapibus et universo senatu, optimatibus etiam et cuncto populo Romano, gloriae imperii nostri subiacenti, ut, sicut in terris vicarius filii dei esse videtur constitutus, etiam et pontifices, qui ipsius principis apostolorum gerunt vices, principatus potestatem amplius, quam terrena imperialis nostra serenitatis mansuetudo habere videtur concessam, a nobis nostroque imperio obtineant; eligentes nobis ipsum principem apostolorum vel eius vicarios firmos apud deum adesse patronos. Et sicut nostra est terrena imperialis potentia, eius sacrosanctam Romanam ecclesiam decrevimus veneranter honorare, et amplius quam nostrum imperium et terrenum thronum sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatem et gloriae dignitatem atque vigorem et honorificentiam imperiale.

§ 12. Atque decernentes sancimus, ut principatum teneat, tam super quattuor praecipuas sedes Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam et Hierosolimitanam,

Eichmann, Quellensammlung zu „Kirche u. Staat“ 1.

quamque etiam super omnes universo orbe terrarum dei ecclesias; et pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctae Romanae ecclesiae extiterit, celsior et princeps cunctis sacerdotibus totius mundi exsistat, et eius iudicio, quaeque ad cultum dei vel fidei Christianorum stabilitate procuranda fuerint, disponantur. Iustum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor, Salvator noster, beatum Petrum apostolatus obtinere praecepit cathedram, ubi et crucis patibulum sustinens beatae mortis sumpsit poculum suique magistri et domini imitator apparuit, et ibi gentes pro Christi nominis confessione collalectant, ubi eorum doctor beatus Paulus apostolus pro Christo extenso collo martyrio coronatus est; illuc usque in finem quaerant doctorem, ubi sanctum doctoris quiescit corpus, et ibi proni ac humiliati caelestis regis, Dei salvatoris nostri Iesu Christi, famulenter officio, ubi superbi terreni regis serviebant imperio.

§ 13. Interea nosse volumus omnem populum universarum gentium ac nationum per totum orbem terrarum, construxisse nos intro palatium nostrum Lateranense eidem salvatori nostro domino Deo Iesu Christo ecclesiam a fundamentis cum baptisterio, et duodecim nos sciatis de eius fundamentis secundum numerum duodecim apostolorum cofinos terra onustatos propriis asportasse humeris; quam sacrosanctam ecclesiam caput et verticem omnium ecclesiarum in universo orbe terrarum dici, coli, venerari ac praedicari sancimus, sicut per alia nostra imperialia decreta statuimus. Construximus itaque et ecclesias beatorum Petri et Pauli, principum apostolorum, quas auro et argento locupletavimus, ubi et sacratissima eorum corpora cum magno honore recondentes, thecas ipsorum ex electro, cui nulla fortitudo praevalet elementorum, construximus et crucem ex auro purissimo et gemmis preciosis per singulas eorum thecas posuimus et clavis aureis confiximus, quibus pro concinnatione luminariorum possessionum praedia contulimus, et rebus diversis eas ditavimus, et per nostras imperialium iussionum sacras tam in oriente quam in occidente vel etiam septentrionali et meridiana plaga, videlicet in Iudea, Graecia, Asia, Thracia, Africa et Italia vel diversis insulis nostram largitatem eis concessimus, ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi patris nostri Silvestri pontificis successorumque eius omnia disponantur.

§ 14. Gaudeat enim una nobiscum omnis populus et

gentium nationes in universo orbe terrarum; exhortantes omnes, ut Deo nostro et salvatori Iesu Christo immensas una nobiscum referatis grates, quoniam ipse Deus in caelis desuper et in terra deorsum, qui nos per suos sanctos visitans apostolos sanctum baptismatis sacramentum percipere et corporis sanitatem dignos efficit. Pro quo concedimus ipsis sanctis apostolis, dominis meis, beatissimis Petro et Paulo et per eos etiam beato Silvestri patri nostro, summo pontifici et universalis urbis Romae papae, et omnibus eius successoribus pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de praesenti contradimus palatum imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum praefertur atque praeceperit palatis, deinde diadema videlicet coronam capitis nostri simulque frigium nec non et superhumeralis, videlicet lorum, qui imperiale circumdare adsolet collum, verum etiam et clamidem purpuream atque tunicam coccineam et omnia imperialia indumenta seu et dignitatem imperialium praesidentium equitum, conferentes etiam et imperialia sceptra, simulque et conta atque signa, banda etiam et diversa ornamenta imperialia et omnem processionem imperialis culminis et gloriam potestatis nostrae.

§ 15. Viris enim reverentissimis, clericis diversis ordinibus eidem sacrosanctae Romanae ecclesiae servientibus illud culmen, singularitatem, potentiam et praecellentiam habere sancimus, cuius amplissimus noster senatus videtur gloria adornari, id est patricios atque consules effici, nec non et ceteris dignitatibus imperialibus eos promulgantes decorari; et sicut imperialis militia, ita et clerum sacrosanctae Romanae ecclesiae ornari decernimus; et quemadmodum imperialis potentia officiis diversis, cubiculariorum nempe et ostiariorum atque omnium excubiorum ornatu, ita et sanctam Romanam ecclesiam decorari volumus; et ut amplissime pontificalis decus praefulgeat, decernimus et hoc, ut clerici eiusdem sanctae Romanae ecclesiae mappulis ex lenteaminibus, id est candidissimo colore, eorum decorari equos et ita equitari, et sicut noster senatus calciamenta uti cum udonibus, id est candido linteamine inlustrari; ut sicut caelestia ita et terrena ad laudem dei decorentur; prae omnibus autem licentiam tribuentes ipso sanctissimo patri nostro Silvestri, urbis Romae episcopo et papae, et omnibus, qui post eum in successum et perpetuis temporibus advenerint, beatissimis pontificibus, pro honore et gloria

Christi Dei nostri in eadem magna Dei catholica et apostolica ecclesia ex nostra synclitu, quem placatus proprio consilio clericare voluerit et in numero religiosorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus praesumentum superbe agere.

§ 16. Decrevimus itaque et hoc, ut isdem venerabilis pater noster Silvester, summus pontifex, vel omnes eius successores pontifices diadema, videlicet coronam, quam ex capiti nostro illi concessimus, ex auro purissimo et gemmis pretiosis uti debeant et eorum capite ad laudem Dei pro honore beati Petri gestare; ipse vero sanctissimus papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona, frygium vero candido nitore splendidam resurrectionem dominicam designans eius sacratissimo vertici manibus nostris posuimus, et tenentes frenum equi ipsius pro reverentia beati Petri stratoris officium illi exhibuimus, statuentes, eundem frygium omnes eius successores pontifices singulariter uti in processionibus.

§ 17. Ad imitationem imperii nostri, unde ut non pontificalis apex vilescat, sed magis amplius quam terreni imperii dignitas et gloriae potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut praelatum est, quamque Romae urbis et omnes Italiae seu occidentalium regionum provincias, loca et civitates saepfato beatissimo pontifici, patri nostro Silvestrio, universalis papae, contradentes atque relinquentes eius vel successorum ipsius pontificum potestati et ditioni firma imperiali censura per hanc nostram divalem sacram et pragmaticum constitutum decernimus disponendam atque iure sanctae Romanae ecclesiae concedimus permanendam.

§ 18. Unde congruum prospexit, nostrum imperium et regni potestatem orientalibus transferri ac transmutari regionibus et in Byzantiae provincia in optimo loco nomini nostro civitatem aedificari et nostrum illic constitui imperium; quoniam, ubi principatus sacerdotum et christianae religionis caput ab imperatore caeleste constitutum est, iustum non est, ut illic imperator terrenus habeat potestatem.

§ 19. Haec vero omnia, quae per hanc nostram imperiali sacram et per alia divalia decreta statuimus atque confirmavimus, usque in finem mundi inlibata et inconcussa permanenda decernimus; unde coram Deo vivo, qui

nos regnare praecepit, et coram terribili eius iudicio obtestamus per hoc nostrum imperiale constitutum omnes nostros successores imperatores vel cunctos optimates, satrapes etiam, amplissimum senatum et universum populum in toto orbe terrarum, nunc et in posterum cunctis retro temporibus imperio nostro subiacenti, nulli eorum quoquo modo licere, haec, quae a nobis imperiali sanctione sacrosanctae Romanae ecclesiae vel eius omnibus pontificibus concessa sunt, refragare aut confringere vel in quoquam convelli. Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator aut contemptor existiterit, aeternis condemnationibus subiaceat innodatus, et sanctos dei principes apostolorum Petrum et Paulum sibi in praesenti et futura vita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus, cum diabolo et omnibus deficiat impiis.

§ 20. Huius vero imperialis decreti nostri paginam propriis manibus roborantes super venerandum corpus beati Petri, principis apostolorum, posuimus, ibique eidem Dei apostolo spondentes, nos cuncta inviolabiliter conservare et nostris successoribus imperatoribus conservanda in mandatis relinqui, beatissimo patri nostro Silvestri in summo pontifici et universalis papae eiusque per eum cunctis successoribus pontificibus, domino Deo et salvatore nostro Iesu Christo annuente, tradidimus perenniter atque feliciter possidendum. — Et subscriptio imperialis: —  
† Divinitas vos conservet per multos annos, sanctissimi et beatissimi patres.

Datum Roma sub die tertio Kalendarum Apriliarum, domino nostro Flavio Constantino augusto quater et Galliano viris clarissimis consulibus.

b) Schreiben Hadrians I. an Karl d. Gr. 778, s. Nr. 4c S. 8.

c) Decretales Pseudoisidoriana ed. Hirschius 249. Vgl. auch Nr. 43b S. 99.

d) Hinkmar von Reims, de ordine palatii c. 13.  
MG. Capitul. II 522.

In prima igitur dispositione regis palatium in ornamento totius palatii ita ordinatum erat. Anteposito ergo rege et regina cum nobilissima prole sua, tam in spiritualibus quam et in saecularibus atque corporalibus rebus per hos ministros omni tempore gubernabatur: videlicet per apocrisiarium, id est responsalem negotiorum ecclesiasticorum; cuius ministerium ex eo tempore sumpsit exordium,

quando Constantinus magnus imperator christianus effectus propter amorem et honorem sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quorum doctrina ac ministerio ad Christi gratiam baptismatis sacramenta pervenit, locum et sedem suam, urbem scilicet Romanam, papae Silvestro edicto privilegii tradidit et sedem suam in civitate sua, quae antea Byzantium vocabatur, nominis sui civitatem ampliando aedificavit; et sic responsales tam Romanae sedis, quam et aliarum praecipuarum sedium in palatio pro ecclesiasticis negotiis excubabant.

e) Urkunde Kaiser Ottos III. 1001.  
MG. Diplomata II 2, 819.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto servus apostolorum et secundum voluntatem Dei salvatoris Romanorum imperator augustus. Romam caput mundi profitemur, Romanam ecclesiam matrem omnium ecclesiarum esse testamur, sed incuria et inscientia pontificum longe sua claritatis titulos obfuscasse. Nam non solum quae extra urbem esse videbantur, vendiderunt et quibusdam colluviis a lare sancti Petri alienaverunt, sed quod absque dolore non dicimus, si quid in hac nostra urbe regia habuerunt, ut maiori licentia evagarentur, omnibus iudicante pecunia in commune dederunt et sanctum Petrum, sanctum Paulum, ipsa quoque altaria spoliaverunt et pro reparatione semper confusionem induxerunt. Confusis vero papaticis legibus et iam abiecta ecclesia Romana in tantum quidam pontificum irruerunt, ut maximam partem imperii nostri apostolatui suo coniungerent, iam non quaerentes quae et quanta suis culpis perdiderunt, non curantes quanta ex voluntaria vanitate effuderunt, sed sua propria, utpote ab illis ipsis dilapidata dimittentes, quasi culpam suam in imperium nostrum retorquentes, ad aliena, id est ad nostra et nostri imperii maxime migraverunt. Haec sunt enim commenta ab illis ipsis inventa quibus Iohannes diaconus cognomento Digitorum mutilus preceptum aureis litteris scripsit et sub titulo magni Constantini longi mendacii tempora finxit. Haec sunt etiam commenta quibus dicunt quendam Karolum sancto Petro nostra publica tribuisse. Sed ad haec respondemus, ipsum Karolum nihil dare iure potuisse, utpote iam a Karolo meliore fugatum, iam imperio privatum, iam destitutum et adnullatum; ergo quod non habuit dedit, sic dedit, sicut nimirum dare potuit, utpote

qui male adquisivit et diu se possessurum non speravit. Spretis ergo commenti ciis preceptis et imaginariis scriptis ex nostra liberalitate sancto Petro donamus quae nostra sunt, non sibi quae sua sunt, veluti nostra conferimus. Sicut enim pro amore sancti Petri dominum Silvestrum magistrum nostrum papam elegimus et deo volente in ipsum serenissimum ordinavimus et creavimus, ita pro amore ipsius domini Silvestri papae sancto Petro de publico nostro dona conferimus, ut habeat magister quid principi nostro Petro a parte sui discipuli offerat. Otto igitur comitatus pro amore magistri nostri domni Silvestri papae sancto Petro offerimus et donamus, ut ad honorem dei et sancti Petri cum sua et nostra salute habeat teneat et ad incrementa sui apostolatus nostrique imperii ordinet. Hos autem sibi ad ordinandum concedimus: Pisaurium, Fanum, Senogalliam, Anconam, Fossabrum, Gallim, Hesi et Ausimum, ut nullus unquam ei et sancto Petro audeat aliquam inquietationem facere aut eum aliquo ingenio fatigare. Qui cumque vero presumserit, omnia quae habet amittat et sanctus Petrus quae sunt sua, recipiat. Ut hoc autem in aeternum ab omnibus conservetur, hoc praeceptum manu nostra diu deo adiutore victura confirmavimus et nostro sigillo precepimus insigniri, ut sibi suisque successoribus valeat.

f) Schreiben Papst Leos IX. an den Patriarchen Michael Caerulearius von Konstantinopel vom 2. September 1053 c. 12.  
Mansi XI 642.

Quod quamvis omnibus ecclesiis Christi, quae unam catholicam in toto mundo efficiunt, a principe apostolorum Petro sit vero dictum: nulli tamen verius aptatur, quam illi cui proprie praesidet ipse qui coelestis regni meruit gubernacula obtinere, Domino Iesu Christo sibi dicente: Tibi dabo claves regni coelorum, et in speciali potestate ligandi et solvendi, summi sacerdotii privilegium. At quoniam, attestante Salomone, cor regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud, tantum apicem coelestis dignitatis in beato Petro et in eius vicariis prudentissimus terrenae monarchiae princeps Constantinus intima consideratione reveritus, cunctos usque in finem saeculi successuros eidem apostolo in Romana sede pontifices, per beatum Silvestrum non solum imperiali potestate et dignitate, verum etiam influlis et ministris adornavit imperialibus: valde indignum fore arbitratus, terreno imperio subdi

quos divina maiestas praefecit coelesti: cui equidem comparatum istud terrenum, nihil est nisi vanitas vanitatum, qua homines oblii domini creatoris sui, intumescentes, mox detumescunt. Et tamen imperialis celsitudo hoc totum quod potuit effecit, quando tota devotione quidquid a domino acceperat, eidem in ministris suis reddidit.

g) Petrus Damiani, Disceptatio synodalnis.

MG. Lib. I 80.

Ut autem id ipsum (sc. papam sine rege fieri posse, p. 78) adhuc manifestius pateat, et te super hac dimicandi materia perdidisse tibimet ipsi clarius innotescat, lege Constantini imperatoris edictum, ubi sedis apostolicae constituit super omnes in orbe terrarum ecclesias principatum. Nam postquam supra corpus beati Petri basilicam fundator erexit, postquam patriarchium Lateranense in beati Salvatoris honore construxit, mox per imperialis rescripti seriem Romanae ecclesiae constituit dignitatem. Ubi nimurum beato Silvestro suisque successoribus obtulit, ut regali more et aurea corona plecterentur in capite et ceteras regii cultus influlas usurparent. Verum beatus Silvester ornamenta, quae sacerdotali congruere iudicabat officio, in proprios usus assumpsit, coronam vero vel cetera, quae magis ambiciosa quam mistica videbantur, omisit. Cui etiam Constantinus Lateranense palatum, quod eotenus aula regalis extiterat, perpetuo iure concessit, regnum Italiae iudicandum tradidit. Nam et ipsius regis haec verba sunt: Unde congruum . . . (cf. Const. Constant. § 18). Audisti, quia terrenus imperator non habet in Romana ecclesia potestatem, quomodo ergo sine illius arbitrio, qui ibi potestatem non habet, non licet eligi sacerdotem?

h) Gregor VII. 1081. Eidesformel für den zu wählenden deutschen König (Hermann von Salm).

MG. Const. I 559.

Ab hac hora et deinceps fidelis ero per rectam fidem beato Petro apostolo eiusque vicario papae Gregorio, qui nunc in carne vivit. Et quodcumque mihi ipse papa praecepit, sub his videlicet verbis: per veram obedientiam, fideliter, sicut oportet christianum, observabo. De ordinatione vero ecclesiarum et de terris vel censu, quae Constantinus imperator vel Carolus sancto Petro dederunt, et de omnibus ecclesiis vel praediis, quae apostolicae sedi ab

aliquibus viris vel mulieribus aliquo tempore sunt oblata vel concessa et in mea sunt vel fuerint potestate, ita conveniam cum papa, ut periculum sacrilegii et perditionem animae meae non incurram. Et Deo sanctoque Petro, adiuvante Christo, dignum honorem et utilitatem impendam. Et eo die, quando illum primitus videro, fideliter per manus meas miles sancti Petri et illius efficiar.

i) Deusdedit, Dictatus Papae c. 8.

S. Nr. 44 e S. 113.

k) Deusdedit, Collectio canonum IV 1.

Ed. Wolf von Glanvell 397.

l) Anselmus Ep. Lucensis, Collectio canonum IV 33.

Ed. Thaner 206.

m) Papst Urban II. verfügt am 3. Juni 1091 über die liparischen Inseln.  
Pirri, Sicilia sacra<sup>2</sup> III 952.

Cum universae insulae secundum instituta legalia iuris publici sint, constat profecto quia religiosi imperatoris Constantini privilegio in ius proprium beato Petro eiusque successoribus occidentales omnes insulae condonatae sunt, maxime quae circa Italiae oram habentur, quarum multae, peccatis exigentibus accollarum, a Saracenis captae Christiani nominis gloriam amiserunt.

n) Urban II. schenkt am 28. Juni 1091 die Insel Korsika der Kirche zu Pisa.  
Ughelli, Italia sacra<sup>2</sup> III 369.

Cum omnes Insulae secundum statuta legalia iuris publici habeantur, constat etiam eas religiosi Imperatoris Constantini liberalitate, ac privilegio in beati Petri, vicariorumque eius ius proprium esse collatas.

o) Hugo von Fleury (c. 1105), Tractatus de regia potestate et sacerdotali dignitate II 2.

MG. Lib. II 486.

Constantinus Romanorum clementissimus imperator edicto proprio constituit per totum Romanum imperium templa gentilium claudi, et aedificavit in eadem urbe plures ecclesias; inter quas construxit ecclesiam beati Ioannis baptistae, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, quas etiam magnis possessionibus ditavit, auroque et argento.

locupletavit, atque eorundem apostolorum sacras reliquias auro purissimo ac gemmis pretiosissimis inclusit. Dedit etiam beato papae Silvestro et successoribus eius vigorem et honorificentiam imperiale, privilegio suo decernens, ut principatum obtineant tam super quatuor principales sedes, Antiochenam videlicet, Alexandrinam, Constantinopolitanam et Ierosolimitanam, quam etiam super universas per totum orbem ecclesias, et ut pontifex sanctae Romanae ecclesiae celsior existat cunctis sacerdotibus mundi huius . . . Ad summum proinde tradidit Romano pontifici palacium suum Lateranense et coronam capitis sui et clamide purpuream et cetera omnia ornamenta imperialia et omnem gloriam suae potestatis et processionem imperialem et dignitatem imperialium equitum palatio praesidentium.

p) Placidus von Nonantula (ca. 1111), *Liber de honore ecclesiae* c. 57.

MG. Lib. II (591).

Sed quia multociens plus exempla quam verba proficiunt, attendere dignentur christianissimi imperatores venerabilis et Deo amabilis Constantini, qui primus Romanorum imperatorum fidem Christi suscepit, admirandae humilitatis exemplum. Nam cum credidisset Christo, dicens valde indignum esse, ut ibi terrenus imperator sedem regni haberet, ubi Deus omnipotens principem sanctitatis vicarium beati Petri apostoli constituisset, beatissimo papae Silvestro omnes Esperias partes relinquens, sui nominis nobilissimam civitatem aedificans, illuc suum transtulit regnum.

c. 91 (ibd. p. 613): Diximus in superioribus huius libelli, regni terreni honorem de honore et possessione sanctae ecclesiae in hoc mundo magis magisque creuisse. Quod quia verum sit, testatur exemplum magni Constantini, cui Deus per virtutem sanctae crucis victoriam de inimicis donare dignatus est. Cum vero postea per beatum Silvestrum baptizatus fuisse et vera cordis humilitate decrevisset iniustum videri ibi se imperiale sedem habere, ubi Deus vicarium beati Petri constituit, Constantinopolitanam civitatem aedificans ibidem gloriosus regnavit. Cui Deus, quia beatum honoravit apostolum et eius vicario occidentale regnum reliquit, omne regnum Romanum ex integro habere concessit. Beatus enim papa Silvester, quamvis ille dederit, tamen ipse Christi domini sequens exemplum, suo sanctissimo capiti coronam regni imponi-

passus non est, sed eum magis rogavit, ut regnum tenendo ecclesiae sanctae devote serviret. Unde videntur illi veritatem non tenere, qui ducatus et marchias vel alias praecelsas possessiones ecclesiae nomine possessionis ei subiugari non debere contendunt. Numquam enim hoc sanctissimus Silvester, prudentissimus et sapientissimus existens, sanctae ecclesiae donari permetteret, nisi convenire certissime sciret divinae voluntati et a sanctis prophetis olim praedictum.

q) Honorius von Autun (ca. 1128), *Summa gloria* c. 17.

MG. Lib. III 71.

Constantinus itaque, princeps principum regni, per Silvestrum, principem sacerdotum ecclesiae, ad fidem Christi convertitur, et totus mundus novo ritu christianaе religionis induitur. Qui Constantinus Romano Pontifici coronam regni imposuit, et ut nullus deinceps Romanum imperium absque consensu apostolici subiret, imperiali auctoritate censuit. Hoc privilegium Silvester a Constantino accepit, hoc successoribus suis reliquit. Cumque sacerdotii cura et regni summa in Silvestri arbitrio penderet, vir Deo plenus intelligens rebelles sacerdotibus non posse gladio verbi Dei, sed gladio materiali coerceri, eundem Constantimum assicvit sibi in agriculturam Dei adiutorem ac contra paganos, Iudeos, hereticos ecclesiae defensorem. Cui etiam concessit gladium ad vindictam malefactorum, coronam quoque regni imposuit ad laudem bonorum.

r) Gregor von Catina, *Orthodoxa defensio imperialis* c. 4.

MG. Lib. II 537.

Videamus interea et consideremus summi pontificis insignia ornamenta et discamus, a cuius sublimitatis potestate acceperit ea. Nunquid dominus noster Jesus Christus largitus est illa beato Petro apostolo, quando tribuit ei claves regni coelorum? Minime. Sed quis concessit ipsa insignia ornamenta Romano pontifici? Relegamus sane decretum Constantini magni imperatoris sancto videlicet papae Silvestro delegatum et ibi procul dubio inveniemus. Sic enim legitur illic: Coneedimus . . . (cf. Const. Constant. § 14). In quibus nimirum verbis audenter et catholice conicere possumus, quia, si Constantinus, qui utique erat terreni dominus tantummodo iuris, super vertice papae manibus suis posuit imperiale frigium et non est hoc agere veritus, immo benignissima devotione fidelique peregit

mente, nec papa quoque designatus est suscipere illud: quare orthodoxo imperatori interdicitur, ut baculum vel anulum episcopis vel praelatis ecclesiae, qui certe inferioris ordinis papae sunt, et in eorum manibus non largiatur?

s) Hugo Metellus, Certamen Papae et Regis v. 133—150.  
MG. Lib. III 718—19.

Papa.

Pontifices olim regalia non habuerunt,  
Primitus ecclesiastica tantum disposuerunt.  
Rex Constantinus, quem Silvester renovavit,  
Ecclesiam primo regalibus associavit.  
Post Constantinum reges sua distribuerunt  
Et sua presulibus feodi sub iure dederunt.  
Rex.

Rex Constantinus sua regia non feodavit,  
Sed neque Silvestrum secum guerrare rogavit:  
Rex Constantinus ea quae dare convenienter  
Silvestro papae potuit dedit atque libenter.  
Sed gladium dare non potuit penamque reorum,  
Silvester pocius fuit intercessor eorum.  
Sed nos presbitero gladium damus insipienter,  
Quod quia non est fas, emendemus sapienter.

Papa.

Si non concessit rex Constantinus habere  
Silvestro gladium, nec tu poteris retinere.  
Unde tibi tandem gladius, nisi Roma dedisset?  
Nec tibi donasset gladium, si non habuisset.

t) Gerhoh von Reichersberg, De quarta vigilia noctis c. 17.  
MG. Lib. III 517.

Caveat ergo sibi dominus papa, ne sit alienorum nimius appetitor, appetendo scilicet, ut mundanas dignitates quasi beneficia sua pro velle suo distribuat vel officia seu negotia saecularia suo nomini aliena per se gerat, quae antiquos antecessores suos gessisse non legitur, quamquam hoc illis videatur indultum in privilegio Constantini, cuius utique multi successores habuerunt potestatem in urbe dominandi, quamquam ille dicat in privilegio suo, quod ubi principatus sacerdotii et christianaee religionis caput ab imperatore celesti constitutum est, iustum non sit, ut illuc terrenus imperator habeat potestatem.

u) Johannes von Salisbury, Metalogicus IV 42.  
MG. SS. XXVII 52.

(Papst Hadrian IV.) ad preces meas illustri regi Anglorum Henrico secundo concessit et dedit Hiberniam iure hereditario possidendam, sicut literae ipsius<sup>1</sup> testantur in hodiernum diem. Nam omnes insulae de iure antiquo ex donatione Constantini, qui eam fundavit et dotavit, dicuntur ad Romanam ecclesiam pertinere. Anulum quoque per me transmisit aureum, smaragdo optimo decoratum, quo fieret investitura iuris in gerenda Hibernia; idemque adhuc anulus in curiali archivo publico custodiri iussus est.

v) Der Arnoldist Wezel an Friedrich I. 1152.  
Wibaldi epistolae n. 404 bei Jaffé, Bibl. rer. Germ. I 542.

Mendacium vero illud et fabula haeretica, in qua refertur, Constantium Silvestro imperialia symoniace concessisse, in Urbe ita detecta est, ut etiam mercenarii et mulierculae quoslibet etiam doctissimos super hoc concludant, et dictus apostolicus cum suis cardinalibus in civitate prae pudore apparere non audeat. Siquidem sanctus Melciades, sancti Silvestri predecessor, in decretis suis<sup>2</sup> Constantium esse baptizatum asserit, dicens: Cum inter turbines mundi succresceret ecclesia, ad eo usque pervenit, ut Romani principes ad fidem Christi et baptismi sacramenta concurrerent; de quibus vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis est adeptus. Tripartita etiam hystoria, eum, antequam umquam ipse imperator civitatem intraverit, christianum fuisse, testatur.

w) Otto von Freising, Chronicon IV 3.  
MG. SS. XX 196.

Serenissimus imperator (Constantinus) ... aliis exempla dans, caput omnium in tantum Romanam exaltavit ecclesiam, ut beato Silvestro eiusdem urbis pontifici, insignibus regni traditis, ipse se Byzantium transferret, ibique sedem regni constitueret. Ex hinc Romana ecclesia occidentalia regna, sui iuris tamquam a Constantino sibi tradita affirmat, in argumentumque tributum, exceptis duobus Francorum regnis, usque hodie exigere non dubitat. Verum

<sup>1</sup> Jaffé, Reg. Pont. Rom. <sup>2</sup> 6908.

<sup>2</sup> Pseudo-Isidor ed. Hinschius 247, 248.

imperii fautores, Constantium non regnum Romanis pontificibus hoc modo tradidisse, sed ipsos tamquam summi Dei sacerdotes ob Domini reverentiam in patres assumpsisse, ab eisque se et successores suos benedicendos et patrocinio orationum fulcierendos contendunt, atque ad hoc probandum, quod ipse Constantinus, regno inter filios diviso, alii Occidentem, alii Orientem tradiderit, et sic per successiones Theodosio quoque, et aliis non solum haereticis sed et religiosis principibus cum Occidente Roma sorte devenerit, inducunt. Aiunt enim nunquam tam religiosum principem, quod prius ecclesiae tradiderat, filii reliquise, vel tam catholicum imperatorem, utpote Theodosium, quod suum non erat, si ecclesiae esset, usurpasse. Quae omnia diffinire praesentis negocii non est.

x) Gottfried von Viterbo († ca. 1191), Pantheon part. 22 c. 3.

MG. SS. XXII 176.

Tunc imperator (Constantinus) Silvestro Romano pontifici regalia insignia concessit; et ipse, ut maiorem ecclesiis daret quietem, curiae tumultum amovit, seque cum omni pompa sua Bizantium in regionem Grecorum transvexit. Ex qua donatione videtur Romanae ecclesiae Roma cum Italia et Gallia fuisse a Constantino collata. Imperii vero fautores asserunt, Constantium non ita regnum dedisse, sed Romanos pontifices tamquam summi Dei sacerdotes ob divinam reverentiam in patres elegisse, ut ab eis debeant benedici eorumque apud Deum orationibus adiuvari. Adicunt etiam adprobationem, quia Constantinus, cum inter filios suos orbem divisisset, uni dederit Orientem, alteri Occidentem, et tertio Tholomaidam cum Babilonia. Quam rem honestus princeps non fecisset, si regna occidentalicia, cum quibus et Italia comprehenditur, ecclesiae contulisset. Theodosio etiam aliisque multis religiosis imperatoribus Romam cum regnis occidentalibus in sortem venisse acenturis affirmant.

y) Decretum Gratiani c. 14 D 96.

Im Verlage von Ferdinand Schöningh in Paderborn erschien:  
**QUELLEN UND FORSCHUNGEN**

AUS DEM GEBIETE DER GESCHICHTE.  
 IN VERBINDUNG MIT IHREM HISTORISCHEN INSTITUT ZU ROM  
 HERAUSGEgeben von der GÖRRES-GESELLSCHAFT.

- I. Bd. I. Teil. Nuntiaturberichte Giovanni Morones vom deutschen Königshofe 1539, 1540. Bearb. v. Prof. Dr. Fr. Dittrich. 254 S. ₩ 7,40.
- I. Bd. II. Teil. Die Avignonesische Obedienz der Mendikanten-Orden, sowie der Orden der Mercedarier und Trinitarier zur Zeit des großen Schismas. Beleuchtet durch die von Clemens VII. und Benedikt XIII. an dieselben gerichteten Schreiben. Von P. Konrad Eubel, Ord. Min. Conv. XX u. 231 S. Lex.-8. ₩ 9,—.
- II. Bd. Römische Dokumente zur Geschichte der Eheschiedung Heinrichs VIII. von England 1527—1534. Mit Erläuterungen herausg. v. Dr. Stephan Ehses. 330 S. ₩ 9,80.
- III. Bd. Die päpstlichen Kollektarien in Deutschland während des XIV. Jahrhunderts. Von Dr. Joh. Peter Kirsch, Prof. an der Universität Freiburg i. d. Schweiz. 640 S. ₩ 20,—.
- IV. Bd. Nuntiaturberichte aus Deutschland nebst ergänzenden Aktenstücken. 1585 (1584)—1590. Erste Abteilung: *Die Kölner Nuntiatur*. 1. Hälfte: Bonomi in Köln. Santonio in der Schweiz, Die Strassburger Wirren. Herausg. und bearbeitet von Dr. Stephan Ehses und Dr. Aloys Meister. 488 S. ₩ 15,—.
- V. Bd. Die Nuntiatur-Korrespondenz Kaspar Groppers nebst verwandten Aktenstücken (1573—1576). Gesammelt u. herausgegeben von W. E. Schwarz. 577 S. Lex.-8. ₩ 21,—.
- VI. Bd. Die Rückkehr der Päpste Urban V. und Gregor XI. von Avignon nach Rom. Auszüge aus den Kameralregistern des vatikanischen Archivs. Von Dr. J. P. Kirsch, Prof. an der Universität Freiburg (Schweiz). 390 S. Lex.-8. ₩ 14,—.
- VII. Bd. Nuntiaturberichte aus Deutschland nebst ergänzenden Aktenstücken. 1585 (1584)—1590. I. Abteilung: *Die Kölner Nuntiatur*. 2. Hälfte: Ottavio Mirto Frangipani in Köln. 1587—1590. Herausgegeben u. bearbeitet von Dr. Stephan Ehses. LXI u. 544 S. Lex.-8. ₩ 22,—.
- VIII. Bd. Andrea Zamometié und der Basler Konzilsversuch im Jahre 1482. Von Jos. Schlecht. I. Band. XII u. 333 S. Lex.-8. ₩ 12,—.
- IX. Bd. Die päpstlichen Annaten in Deutschland während des XIV. Jahrhunderts. Von Dr. J. P. Kirsch, Professor an der Universität Freiburg (Schweiz). Erster Band: Von Johann XXII. bis Innoezenz VI. LVI u. 344 S. Lex.-8. ₩ 13,—.

- X. Bd. *Nuntiaturberichte aus Deutschland* nebst ergänzenden Aktenstücken. 1585 (1584)—1590. Zweite Abteilung: *Die Nuntiatur am Kaiserhofe*. Erste Hälfte: Germanico Malaspina und Filippo Segi. (Giovanni Andrea Caligari in Graz.) Bearbeitet u. herausgegeben von Dr. Robert Reichenberger. L u. 482 S. Lex.-8. M 20.—.
- XI. Bd. *Die Geheimschrift im Dienste der päpstlichen Kurie von ihren Anfängen bis zum Ende des XVI. Jahrhunderts*. Von Dr. Aloys Meister, Professor an der Universität Münster. Mit 5 kryptographischen Schrifttafeln. VIII u. 450 S. Lex.-8. br. M 24.—.
- XII. Bd. *Martin de Alpartils chronica actitatorum temporibus domini Benedicti XIII*. Zum erstenmal veröffentlicht von P. Franz Ehrle, S. J. I. Bd.: Einleitung, Text und Chronik, Anhang ungedruckter Aktenstücke. XLII u. 616 S. Lex.-8. br. M 25.—.
- XIII. Bd. *Reformation und Inquisition in Italien um die Mitte des XVI. Jahrhunderts*. Von Dr. Gottfried Buschbell. XXIII u. 344 S. Lex.-8. br. M 16.—.
- XIV. Bd. Ist noch nicht erschienen.
- XV. Bd. *Deutsche Ritter und Edelknechte in Italien während des XIV. Jahrhunderts*. Veröffentlicht von Dr. Karl Heinrich Schäfer.  
1. Buch: Im päpstl. Dienste, Darstellung. XVI. 198 S. M 8,40.  
2. Buch: Soldisten und Urkunden der im päpstlichen Dienste stehenden deutschen Reiter. XV. 214 S. M 9,—.

## VATIKANISCHE QUELLEN

ZUR GESCHICHTE DER PÄPSTLICHEN HOF-  
UND FINANZVERWALTUNG 1316—1378.

IN VERBINDUNG MIT IHREM HISTORISCHEN INSTITUT ZU ROM  
HERAUSGEGEBEN VON DER GÖRRES-GESELLSCHAFT.

Erster Band:

Die Einnahmen der apostolischen Kammer unter Johann XXII.

Erster Teil: Darstellung.

Zweiter Teil: Quellen.

Herausgegeben von Emil Göller.

XVI. und 916 S. Lex.-8. brosch. M 34.—.

Billigerweise muß hier hervorgehoben werden, daß hier nicht bloß eine tüchtige Gelehrtenarbeit geleistet ist, wie der Fachmann das so gewöhnlich versteht und wie auch der Verfasser schon durch manche seinen Namen ehrenvoll bekannt gemacht hat, sondern daß hier eine Summe von Mühe, Geduld und Selbstverleugnung zum Besten der Sache und im Dienst der Fachgenossen aufgeboten wurde, die das gewöhnliche Maß übersteigt und die kein buchhändlerischer Erfolg jemals gehabt haben kann.

Zweiter Band:

Die Ausgaben der apostolischen Kammer unter Johann XXII.


Nebst den Jahresbilanzen von 1316—1375.

Mit darstellender Einleitung herausgeg. von K. H. Schäfer.

XI. 1063 S. Lex.-8. brosch. M 42.—.

Über die Sorgfältigkeit der Quellenedition sowie den Fleiß, dieselbe durch Bemerkungen und Anmerkungen jeder Art verständlicher zu machen, kann man, soweit das ohne Einsicht in die Vorlagen möglich ist, nur bestens urteilen.

ÚK PrF MU Brno



3129S03500